This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR

ACADEMIA LIBERA REFORMATA.

DE LUCRETIANO CARMINE A POETA PERFECTO ATQUE ABSOLUTO.

DISPUTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

G. H. J. W. J. GEESINK

THEOL. DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN

„DE WERKENDE STAND"

JACOB VAN DER VALK

ROTERODAMUS

DIE VII M IULII MDCCCCII HORA III.

CAMPIS

APUD

PH. ZALSMAN.

MCMII.

KAMPER BOEK- EN STEENDRUKKERIJ VAN PH. ZALSMAN.

PARENTIBUS MEIS.

Latin
E. Kelsey
3-23-38
35988

CONTINENTUR.

PAG.

Caput I De testimonio et de rationibus quibus viri docti usi sunt ut probarent Lucretianum carmen non esse perfectum 1
§ 1. De Hieronymi testimonio 3
§ 2. De rationibus quas ei editores secuti sunt, qui Lucretianum carmen imperfectum esse putant 11

Caput II. De versibus, qui iam ab aliis suo loco nulla lacunas statuendi ope vindicati sunt 19
§ 1. De libro primo 21
§ 2. De libro secundo 22
§ 3. De libro tertio 27
§ 4. De libro quarto 33
§ 5. De libro quinto 36
§ 6. De libro sexto 38

Caput III. De locis quos vindicare conor 41
§ 1. De libro primo 43
§ 2. De libro secundo 73
§ 3. De libro tertio 91
§ 4. De libro quarto 101
§ 5. De libro quinto 107
§ 6. De libro sexto 113

Caput IV. De reliquis qui ad hanc quaestionem pertinent locis 127
§ 1. De iis locis quos sanos esse verisimile duco 129
§ 2. De iis locis, de quorum integritate dubito 130

Pag.

§ 3. De iis locis, quorum corruptelas alio modo atque editores fecerunt sanandas esse arbitror 132

§ 4. De iis locis, quos lacunosos aut transponendos esse concedo 147

Appendix 153

1. addenda 154

2. conspectus locorum 158

3. index rerum et verborum 165

4. corrigenda 166

Theses 167

Quem primum, cum hoc loco gratias acturus et quid huius Universitatis viris clarissimis debeam, palam professurus sum, nominem nisi te, clarissime Woltjer, cuius insignem doctrinam, scholas optima via ac ratione institutas, consilia utilissima, benevolentiamque erga discipulos praesentem opinione maiorem tam mihi quam omnibus tuis discipulis nota grato animo recordor, quorum memoria numquam ex pectore meo labetur? Ex scriptis tuis quantum ceperim fructum me dicere debere minime arbitror, cuius hoc opusculum quaque pagina tuum nomen honorifice testetur.

Haud scio, clarissime Kuyper pater, qui summo denique in patria fungeris munere, utrum mihi utiliores fuerint tuae ingenii luminum, doctrinarum artiumque plenissimae scholae an illud praeclarum vere viri doctissimi hominisque humanissimi exemplum, quod tu prodens non minus ad res gerendas nos excitasti, quam illius summae rei ἔρωτα nobis iniecisti, quam illis tribus denique gradibus superatis contemplari licet, ὅ ἐστιν οὐκ ἄλλου ἢ αὐτοῦ τοῦ καλοῦ μάθημα.


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

I. DE HIERONYMI TESTIMONIO.

Ostendere conabor nullam esse causam cur putemus Lucretium carmen suum de rerum natura imperfectum reliquisse; eos igitur errare, qui sive Hieronymi testimonio, sive corruptis et transpositis ab archetypi librario locis, sive iis versibus qui ipsis videantur carminis continuitatem interrumpere permoti, putent ita inchoatum rudeque atque impolitum a poeta carmen relictum esse, ut multi versus a poeta in schedis scripti nec certis carminis locis accommodati essent, quos Cicero post poetae mortem, neque semper recte, carmini inseruisse dicitur.

Videamus igitur primum quid de testimonio Hieronymi censendum sit.

Verba ipsa Hieronymi sunt ad annum Abr. 1922 i. e. a. Chr. n. 95 (ita codex A omnium optimus et antiquissimus et F, reliqui ad annum 1923): „Titus Lucretius poeta nascitur. postea amatorio poculo in furorem versus cum aliquot libros per intervalla insaniae conscribsisset quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIIII."

Iam inde a renatis litteris multi fuerunt, qui de furore et voluntaria Lucretii morte dubitarent, veluti Giovanni Battista Pius (praef. editionis suae an. 1511), Petrus Crinitus amicus Michaeli Marulli (De poetis latinis 2, 19), Lambi-

nus (edit. Francofurt. 1583 p. XLV), Creech (edit. Londini 1835 p. XV), Giacomo Giri (Il suicidio di Lucrezio, Palermo 1895), Constant Martha (Le poème de Lucrèce, Paris 1896[6] p. 24), O. Weissenfels (Woch. f. Class. Phil. 1895 p. 1391 sq.). Quorum argumenta tamen non talia esse, ut inde constet meras Hieronymum tradidisse fabulas ostenderunt R. Fritsche (Zur Biographie des Lucretius, Neue Jahrb. 1896 p. 555) et Ettore Stampini (Rivista di Storia Antica 1, 4 p. 45—76; Il suicidio di Lucrezio, Messina 1896; cfr. Class. Review 1898 p. 237—45), qui tamen Hieronymi fabulam iam nullo alio modo defendi posse credit, nisi si putes minus accurate id quod Suetonius tradidit rettulisse Hieronymum; ad historiae enim fidem si scripsisset, sic scribere patrem ecclesiae debuisse: „T. Lucretius poeta nascitur. Postea, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, amatorio poculo, ut opinio fuit, in furorem versus propria etc.;" sed hac coniectura Stampinum suae ipsius rationis fundamentum eruere iure statuit Giacomo Giri (Ancora il suicidio di Luc., Palermo 1896).

Samuel Brandt anno 1896 (Jahrb. f. Phil. Bd. 143 p. 225—59) scripsit de Lactantio et Lucretio ostenditque nec Arnobio nec Lactantio fabulam de Lucretii furore et morte voluntaria notam fuisse (p. 246—50); sine ulla enim dubitatione Lactantium, pater ecclesiae qui dicitur, peritissimum latinarum literarum inque Lucretio quem ubique [1]) oppugnat versatissimum, cum poetam vituperaret hisce verbis: „quis eum putet habuisse cerebrum?" (de ira Dei 10,17) aut similibus, additurum fuisse: nimirum poetam insanum fuisse. Praeterea Lactantius de eorum morte voluntaria locutus

[1]) Brandt l.l. p. 231: „So hat denn Lactantius in seinen Werken so zu sagen einen Anti-Lucretius geschrieben, lange vor dem so betitelten Buche von Polignac."

qui credunt animum immortalem esse, inter quos nominat Cleanthem, Chrysippum, Zenonem, Empedoclem atque ex Romanis Catonem, sic pergit (inst. 3, 18, 6): „nam Democritus in alia fuit persuasione, sed tamen *sponte sua leto caput obvius obtulit ipse* (Luc 3, 1041) quo nihil sceleratius fieri potest." Hic certe non tacuisset de poeta ipso, cuius verba laudat, qui in eadem fuit persuasione Democritique doctrinam amplexus est, si quid de eius morte voluntaria audivisset is rhetor, qui argumenta ex vita adversariorum depromere non aspernabatur. (Cfr. Brandt l.l. p. 248 sq.). Ex quo quid effici cogique possit Brieger vidit (Ann. Luc. 1896 p. 196 sq.) qui: Si nec Arnobius, [1]) ait, nec discipulus eius Lactantius quidquam sciebat de Lucretii furore ac morte, Suetonius certe ea de re nihil scripsit. Nam Lactantius, qui Nicomediae rhetoricam docuit et Caesarem Crispum Constantini filium latinis literis erudivit, quique satis diu Romae vixit, non potuit ignorare quid summus grammaticus de summo poeta tradidisset. Nam etiamsi Suetonium non legisset, id quod minime credibile est, tamen audiverit necesse est rumorem et famam de tali morte, quae Graecis Romanisque earum rerum curiosissimis ignota esse non posset; eamque mortem voluntariam eius philosophi, qui divinum numen mundum procreasse et regere negaret, imprimis Christianis litteratis magni fuisse momenti consentaneum est. Non igitur de furore nec de morte Lucreti voluntaria scriptum erat a grammatico magnae auctoritatis; nec a Suetonio, ut antea vulgo credebatur, nec a Probo, id quod veri simile ducit John Masson (An Italian scholar on Jerome's life of Lucretius; The Class.

---

1) Hunc quoque, qui rhetor in Africa clarus habebatur, Lucretium legisse ostenderunt E. Klussmann (Philol. 26 p 362) et J. Jessen (Lucrez u. sein Verhältn. zu Catull u. Späteren, Kiel 1872 p. 17).

Review 1898 p. 244; cfr. Brieger Ann. Luc. 1900 p. 48).

Hoc igitur Brieger ostendit, quod tradit Hieronymus de furore et morte Lucreti nullam habere auctoritatem, eique assentior sic concludenti: (Ann. Luc. 1900 p. 49): „Ich zweifle auch nicht, dass die ganze Wahnsinns- und Selbstmordgeschichte bald endgültig dahin geworfen werden wird, wohin sie gehört, nämlich in die Rumpelkammer der Litteraturgeschichte, die ja schon so unzählig viele biographische Fabeln aufgenommen hat."

Ex quo fonte hanc fabulam hauserit Hieronymus pro certo affirmari non potest. Sed veri simile mihi quidem videtur eum eam legisse apud grammaticum quendam, fortasse eundem, de cuius commentariis in Lucretium dicit in Apologia in Rufinum (Migne p. 410); et hanc de Lucretii furore fabulam ortam esse puto ex falsa interpretatione Statii versus (Silv. 2, 7, 76): „et docti furor arduus Lucreti," id quod iam G. B. Pius et Petrus Crinitus (l.l.) suspicati sunt (Cf. Fr. Vollmer P. Pap. Statii Silvarum libri) et versus Lucreti ipsius: „adde furorem animi proprium atque oblivia rerum, adde quod in nigras lethargi mergitur undas" (3, 828 sq.) Nam multa in „vitis" clarissimorum scriptorum tradita ex falsa explicatione aut lectione corrupta orta esse luculentissimo exemplo ostendit Woltjer (Mnem. 1895 p. 222 sqq.) in reicienda illa Lucreti vita, quam Masson invenit in exemplari editionis Venetianae anni 1492.

Cum igitur reicienda sint quae de furore et morte tradidit Hieronymus ex scriptore non magnae auctoritatis hausta, cavendum nobis est, ne ceteris rebus quas idem tradit in errorem ducamur; neque approbandus mihi videretur is qui insaniam fuisse negaret, Lucretium per intervalla scripsisse crederet. Nam quicumque insaniam fictam esse credit,

videt etiam per intervalla poetam scripsisse fictum esse, ne, qui insanum poetam illud praeclarum de rerum natura carmen scripsisse diceret, re ipsa redargui videretur.

Restat ut videamus quid censendum sit de Cicerone carminis de natura rerum editore.

1. Iam vidimus Ciceronem editorem dici in tali testimonio, quod falsa contineat.

2. Intellegi potest qui factum sit, ut is qui poetam in furorem versum mortem sibi conscivisse dixit adderet Ciceronem libros eius emendasse; nimirum ob eandem causam, quare addidit poetam per intervalla scripsisse, ne scilicet incredibilia narrare videretur.

Iis qui quaerant quo modo carmen tam praeclarum insanus poeta scribere potuerit, respondere videtur, nimirum poetam per intervalla insaniae scripsisse libros, quos postea illustrissimus latinorum scriptorum emendaverit.

3. Non igitur temere fides habenda est Hieronymi testimonio. Sed fac vera eum tradidisse, ne tunc quidem ex eius testimonio effici potest ut pro certo habendum sit Ciceronem *carmen de rerum natura* emendasse. Nam non hoc dicit Hieronymus, sed Ciceronem emendasse *aliquot libros*, quos Lucretius per intervalla insaniae scripsisset. Mirum est omnes viros doctos quod sciam putasse significari ab Hieronymo aliquot libros carminis de rerum natura; nam Julius Jessen recte dixit [1]) veri simile esse Lucretium non hoc unum tantum sed plura carmina scripsisse. Sed non mirum est inter viros doctos non convenire de vocabuli *aliquot* significatione. Sunt enim qui putent *aliquot* libros esse *partem* carminis de rerum natura (Lachm. p. 63). Masson (l.l. p. 240) mirandum in modum hanc interpreta-

[1]) Zu Lucrez' Leben und Dichtung in libello quo praeceptores gymnasii Kiloniensis philologos Germaniae in ea urbe congregatos a. 1869 consalutarunt p. 56.

tionem defendit sic: „As to the curious phrase *aliquot libros* . . . . . Jerome may not have read and probably did not admire Lucretius. The vagueness of the phrase might spring from indifference or ignorance." Ego facio cum Giri l.l. dicente si *aliquot* referendum esset ad *partem* carminis, Hieronymum certe additurum fuisse titulum carminis cuius pars essent illi aliquot libri; et cum Teuffelio (R. L. G[4]. § 203 p. 378) monente *aliquot* vix dici posse de parte carminis quod constet ex libris non plus quam sex.

Neque tamen per *aliquot libros* totum carmen indicari arbitror; nulla enim causa erat cur Hieronymus, qui ut doceat scribit, non certum numerum potius quam hoc numerale indefinitum usurparet.

Mihi igitur persuasum est, si Hieronymi testimonio fides habenda sit, quod dubito, statuendum esse Ciceronem emendasse aliquot Lucretii opera, quae de variis rebus scripta uno titulo Hieronymus indicare non potuerit.

4. At dixerit quispiam in hisce aliquot libris et carmen de rerum natura fuisse si certum non sit, veri tamen esse simile. Immo vero fuerunt viri docti qui quamvis fidem haberent Hieronymi testimonio et crederent Ciceronem emendasse carmen, tamen viderent tam parum esse veri simile oratorem emendasse, ut putarent Quintum fratrem editorem fuisse; inter quos viros doctos fuerunt Lachmann (p. 63), Bernays (ed. p. XII), Bernhardy (Grundr. d. röm. Lit. 1865[4] anm. 398), Woltjer (Lucr. philos. cum font. comp. p. 7 n. 1). Et recte illi quidem viderunt Marcum Lucretii emendatorem non fuisse; „ex Marci enim scriptis satis dilucide apparere, eum vix aut numquam Lucreti opus legisse, aut si legerit, ne imbutum quidem esse iis qui legerit." Haec sunt verba Woltjeri, qui hoc ut probet confert Cic. de nat. deor. 1, 108 cum Luc. 4, 736 sqq.

761 sqq. 780 sqq. Et recte ille quidem; nam haec si Cicero legisset, illud non scripsisset. Et sine dubio, si Lucretianum carmen emendasset aut suo nomine edidisset, Lucretium silentio non praeteriisset Acad. poster. 1, 2, 4—7, nec Tusc. 2 cap 3, nec Epist. ad fam. 13, 1. (Cfr. O. Weissenfels in Woch. f. klass. Phil. 1896 p. 1419).

Nec tamen Quintum ab Hieronymo dici hodie inter omnes fere constat. Nam praenomen addi debuit, et Hieronymus, quotiens solum nomen Ciceronis usurpat semper Marcum indicat. (Cfr. Bergk, Phil. 11 p. 384; Index Scholarum Hall. aest. 1865. p. III). [1])

Alii viri docti, inter quos sunt Munro (II p. 3 sq.), Polle (Phil. 25 p. 504), Giussanus (I p. XV sq.), Giri (l.l. p. 84), libere confessi in carmine ipso nulla fere emendationis vestigia reperta esse (cfr. Woltjer, Mnem. 1895 p. 322—5) Ciceronem putant carmen non emendasse, sed edidisse tantummodo vel potius aliis edendum curasse. Munro (l.l.) rem sic sibi fingit: „The poem must have been given to the world exactly as it was left by the author, with nothing added or taken from it to all appearance. If Cicero then was editor, he probably put it into the hands of some of his own amanuenses or entrusted it to the large copying establishment of Atticus; and he may have spent only a few hours in looking over it or hearing it read to him: his name rather than his time was probably wanted by the friends of Lucretius. All this would of course be the idlest guess-work, if it were not for the express statement of Jerome, that is of Suetonius, that he was editor; a statement which is in some measure confirmed by the younger Pliny, epist. III, 15, who thus writes to his friend

[1]) De Lerschii opinione (Römische Diorthosen p. 19), qui coniecit non M. Tullium Ciceronem sed Tullium Tironem ab Hieronymo significari, tacere praestat.

Proculus: Petis ut libellos tuos in secessu legam examinemque an editione sint digni, adhibes preces, adlegas exemplum; rogas enim [1]) ut aliquid subsicivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis: adicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse. The *exemplum* in question may well have been the poem of Lucretius." Sed Georgius Castellani (Qua ratione traditum sit M. T. Cireronem Luc. carm. emendatorem fuisse, Venetiis 1894 p. 12 sq.) ostendit ex hoc Pliniano loco minime effici posse Ciceronem Lucretianum carmen emendasse vel edidisse. Proculus enim nihil aliud petivit nisi ut Plinius legeret suos libellos atque examinaret an editione essent digni; minime ut emendaret ederetve. Deinde dicit Plinius Proculum adhibuisse preces et adlegasse exemplum; quae autem preces fuerint addit: „rogas enim, inquit, ut aliquid subsicivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis"; quod exemplum fuerit dicit hisce verbis: „adicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse." Sed ex eo quod Cicero poetarum ingenia fovisset — ipse dicit (pro Sestio 58, 123) se semper poetarum ingenia dilexisse — minime effici cogique Ciceronem poetarum, ne dicam Lucretii, carmina edidisse vel emendasse non est quod moneam (cfr. Brieger Ann. Luc. 1896 p. 192). Munronianae sententiae probandae nihil igitur restat nisi Hieronymi testimonium, quod quanti faciendum sit, iam satis ostendisse nobis videmur.

Nam qui cum Samuele Brandt credit Lactantium nihil de Lucretii furore et voluntaria morte novisse, assentietur Briegero, qui vidit inde effici fictas esse fabulas, quas Hieronymus de illo furore et morte tradiderit; qui autem hoc Briegero concesserit, non potest non et de Ciceronis emendatione fabulam reicere.

---

[1]) Nescio quo errore Munro scripsit *etiam*.

II. DE RATIONIBUS QUAS EI EDITORES SECUTI SUNT, QUI LUCRETIANUM CARMEN IMPERFECTUM ESSE PUTANT.

Hoc Hieronymi testimonio in errorem inducti viri docti imperfectum a poeta carmen relictum esse crediderunt. Nec tamen inter eos convenit de imperfecti status ratione, et quattuor fere sunt sententiae diversae, quae de imperfecti carminis statu latae sunt.

Prima fuit eorum qui putarunt sex libros de rerum natura partem tantummodo esse carminis Lucretiani.

Poggius Bracciolinus qui anno fere 1417 in Germania repperit codicem in quo carmen de rerum natura scriptum erat, putavit se *partem* tantummodo Lucretii repperisse, ut ipse dicit in dialogo de infelicitate principum (Pogg. Oper. ed. Argent. fol. 147 a) et in oratione funebri in funere Nicolai Nicoli habita (l.l. fol. 102 b). Eum in errorem ductum esse corrupto [1]) loco Varronis de lingua latina 5, 17 (Lachm. p. 5 sq.) apparere videtur ex eo, quod et in scholiis quae scripta leguntur in duobus foliis anno 1492 exemplari editionis Veronensis praefixis, quod exemplar asservatur in Bibliotheca Academica Ultraiectina (cfr. Woltjer Mnem. 1895 p. 223), et in excerptis anno 1502 scriptis e praefatione editionis, quam Hieronymus Borgius parare in animo habuisse videtur, a Massono repertis in exemplari editionis Venetianae quod servatur in Museo Britannico, Varronis testimonii ratio habetur. In scholiis enim dici-

[1]) Teuffel-Schwabe GRL[5] § 143, 4 pag. 236.

tur: „Lucretius . . . Epicuri . . . volumina 37 in sex libros redegit: quamvis M. Varro 21 fuisse affirmat"; in excerptis: „Sunt qui putent unum et viginti libros composuisse et poematis principium hoc esse, Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus, et usque ad eum locum Concelebras, quindecim carmina intercidisse, quorum ego opinionem nequaquam probaverim." Ac diu hunc errorem tenuisse apparet ex eo quod aliquot annis post Joannes Baptista Pius (in „C. Lucretii Cari vita" eius editionibus ann. 1511, 1514 praefixa) haec habet: „Unus vir doctissimus undecunque Varro dubio procul ostendit plures edidisse libros [Lucretium]. Sed qui fortassis inchoati non perfecti reiecti sunt a censore sollertissimo Marco Tullio"; et Petrus Candidus in praefatione editionis Juntinae an. 1512 Varronem laudat nihil addens. Lambinus tandem errorem redarguit (l.l. p. XLV—XLVIII), neque Wakefield (praef. prima I p. XXIV) putare debuit „aliud carmen a Lucretio relictum olim exstitisse Varronis testimonio saltem probabile effici."

Sunt vero qui putent carmen non ad finem perductum esse et ultimam partem libri sexti poetam non addidisse, inter quos nominandi sunt Kannengiesser et Masson (Class. Review 1898 p. 238 sq.; the Atomic Theory of Lucretius etc. Lond. 1884 p. 168, 3) qui putant in fine carminis Lucretium scripturum fuisse de deorum sedibus, quod se facturum esse spondet 5, 155; atque F. Marx (Der Dichter Lucrez, in Neue Jahrb. 1899 p. 535) qui carmen imperfectum esse dicit inde effici quod carmini clausula (Schlusswort) desit.

Quorum tamen conclusionem non probo. Nam si iis concesseris tibi quoque dubitandum videri utrum ultima pars de dis desit, an cum Giussano (III p. 138 sq.; IV p.

20), et H. Schroedero (Lucrez und Thucydides, Strassburg 1898 p. 28 sq.; 34 sq.) statuendum sit poetam consilium mutasse et de consulto non de dis sed de pestilentia ultimo loco egisse; immo si pro certo confirmari posset ultimam partem re vera deesse, [1]) inde non efficeretur *poetam* non scripsisse, imprimis cum unius, ex quo omnes nostri codices ducti sunt, archetypi tam detrita condicio esset, quo tempore nostri codices ex eo exscribebantur, ut Oblongi librarius unam schedam paginis inversis offenderit, ceteri iam quattuor schedas compagibus solutis a suis sedibus aberratas (cf. Lachm. p. 7; Polle, De artis vocab. p. 66); atque ab ipso Archetypi librario paginae aliquot neglectae esse videantur (cfr. Lachm. ad 4, 126 et ad 6, 839; Giussani III p. 166 sq.) versuumque ordo turbatus (cfr. 6, 923—33 cum 4, 217—29).

Quodsi licet dubitanter, ut in re tam incerta, meam opinionem proferre, rem mihi sic fingo: Lucretium, quod quinto libro pollicitus erat se scripturum esse de deorum sedibus, persolvisse in fine libri sexti quem poeta ipse ultimum esse dixit 6, 92 sqq. Stultam eum dixisse in illo extremo carminis loco eorum opinionem qui crederent deos tam taetra et horribilia creare qualis esset pestilentia. Deorum enim, si talia viderent, felicitatem infelicissimam esse. Immo vero deos seorsum a mundis habitare in intermundiis, ubi nihil curantes res humanas vitam agerent securam vereque divinam. Itaque, ut in fine libri tertii mortem nil ad nos esse, sic in fine sexti deorum potestatem nil ad nos pertinere poetam demonstrasse conicio. Sed illam ultimam carminis partem detrito exemplari antiquo, cuius apogra-

---

[1]) Archetypus non videtur habuisse subscriptionem. Quadratus non habet; Oblongum qui scripsit, ipse videtur addidisse: „Titi Lucreti Cari de rerum natura liber VI explicit. Lege feliciter. amen."

phon Poggius invenit defuisse, eumque Varronis corruptis verbis confirmatum putasse se parvam tantum partem Lucretiani carminis invenisse.

Altera sententia est eorum, qui nullam partem desiderari statuunt, sed ultimam auctoris manum carmini defuisse. Ex quibus viris doctis alii (Lambinus l.l. p. XLIIII) putant carmen, a poeta impolitum relictum, a Cicerone perpolitum esse; alii vero (Creech l.l. p. IX et XV) etiam nunc incompta et laxa in carmine scripta legi, quae nec poeta subita morte prohibitus emendare potuerit nec Cicero emendaverit. Quae tamen, nisi Hieronymi fabula in errorem ducti essent, sine dubio aut codicum corrupta condicione existimarent depravata esse aut tribuenda difficultati operis, quo Lucretius primus Epicuri obscura reperta Latinis versibus illustravit.

Tertia sententia fuit eorum, qui duplicem carminis recensionem statuerunt. Primus hanc viam iniit Havercamp, qui (ad 1, 11; 5, 1326) *ab ipso poeta* duas factas esse recensiones diceret, et is quidem Varronis testimonio in errorem ductus. Putat enim „pro varietate materiae in plures initio libros distinguere opus suum poetam potuisse, postea contrahere numerum, atque ipsum exordium poetica invocatione exornare" (ad 1, 11). Deinde Eichstaedt (in commentario de vita et carmine Lucretii suae editioni praefixo p. 79) „in prima recensione exhibitum fuisse" putavit „carmen, prout de manu auctoris exisset inchoatum et rude, in altera limatum *a nescio quo* multisque locis politum, non item constanti et pertinaci studio perpolitum. Hanc posteriorem recensionem ad nostram aetatem propagatam esse, ita tamen, prioris ut non omnia obliterata videantur vestigia." Postremo Forbiger (Diss. de Luc. carmine a scriptore serioris aetatis denuo pertractato) conatus est probare „Lucretii carmen serioribus demum tempo-

ribus *ab homine*, sive ingenium sive poeticam facultatem spectes, ipso auctore longe *inferiore* recognitum permultis in locis, mutatum, interpolatum, correctum" (p. 121) „neque ante seriores Marci Aurelii annos hanc alteram recensionem perfectam fuisse" (p. 128).

Illius tamen duplicis recensionis neque rationem neque causas satis explicatas a Forbigero esse viderunt Orellius (Jahni Annal. 1827 3, 4 p. 86 n) et Madvig (Opuscul. Acad. I p. 321); Bernays (De emendatione Lucretii commentatio, Bonnae 1847 ex Museo Rhenano repetita p. 562 sqq.) perspexit Forbigeri opinione eversa simul corruant necesse esse Eichstaedtiana (cfr. Lachm. p. 17 sq.) et Havercampiana. Nec quisquam eorum, qui post Lucretium ediderunt, illorum sententiam probavit.

Quarta sententia est eorum qui putant Lucretium seorsum a carminis continuitate in singularibus schedulis consignasse particulas, quas Cicero editor ibi collocaverit quo pertinere viderentur, quasque repertas editores lineolis secludunt, quia aequabilem carminis tenorem interrumpant. Eam sententiam primus protulit Lachmannus, quem omnes qui post eum totum carmen ediderunt secuti sunt.

Tria vero sunt praecipue quibus inter se differunt ei, qui putant aliquot particulas seorsum a carminis continuitate scriptas esse:

1. Saepissime non consentiunt de locis secludendis, transponendis, lacunosis;

2. alii totum carmen emendatum esse putant, alii, inter quos Lachmann (p. 62), Munro (II p. 7), Stampini, Masson (l.l. p. 240) primum aut priores duos libros a poeta perfectos nec ab editore emendatos esse;

3. quod Lachmannus addit (p. 84; 259) ea, quae alio tempore composita essent, scripta esse cum Lucretius, quae

iam perscripta essent, in manibus non haberet, id Brieger non credit. (Prol. p. 14).

Tamen concedo has controversias non tantas esse ut his innixi rationem illorum virorum impugnare possimus (Giuss. Rivista 1900 p. 219). Nam qui Lachmannum sequuntur non magis causa cadunt quod saepe inter se dissentiunt, quam qui eos oppugnant quod locos defendunt alius alio modo. Ego quidem magnam laudem Heinzio non tribuere non possum quod utilissimo libro (T. Luc. Carus De rerum natura Buch III erklärt von Richard Heinze, Leipzig 1897) partem saltem Lucretiani carminis ita edidit, ut plurimos locos rectissime explicando defendat et Lachmannianam rationem impugnet (p. 44 sq.; 167); sed tamen libere confiteor me Briegero Heinzianam interpretationem, quam p. 44 profert de argumentorum serie in libro tertio v. 417 sqq., improbanti prorsus adsentiri. Praeterea fundamentum, quo ratio Lachmanniana innititur, tollere neglexit, id quod Giussanus perspexit (Rivista 1900 p. 217 sq.).

Ego testimonio Hieronymi reiecto in singulos locos inde a Lachmanno ab editoribus vel seclusos vel transpositos vel lacunae signo adstructos inquirere in animo habeo; [1]) et ostendere conabor nullum eorum locorum, quos ut seorsum a carminis continuitate scriptos editores secludunt, carmen interrumpere. Locos lacunae signo adstructos, quamquam scio non semper ex lacunis probari poetam locum non perfecisse, tamen, quod non ubique certum est quid quisque de quaque lacuna editor sentiat, omnes tractare malo. Quorum multos lacunosos esse concedo, sed et lacunas et locos, transponendi qui sunt, non poetae, sed aut librariis aut detritae archetypi condicioni

[1]) Inter Lucretii editores non numero Bockemuellerum, qui ipse testatus est se his adnumerari nolle. Cfr. Brieger Proleg. p. 6 sq.; Ann. Luc. 1876 p. 161.

adscribo, [1]) quibus Lachmanniani quoque magnam partem lacunarum et versuum traiectorum tribuunt (cfr. Munro I p. 29).

Iam vero, priusquam huic praefationi finem ponam, iuvat me refellere falsam opinionem eorum, qui mecum rationem Lachmannianam improbant et ideo fortasse putant oleum et operam perdidisse eos, qui locos impugnaverint. [2]) Immo vero, illi viri docti, qui inquisiverunt in locos seorsum a carminis continuitate scriptos, maximam utilitatem attulerunt iis potissimum carminis Lucretiani studiis, quae maxime lucis indigebant. Ea dico studia, quibus conamur intellegere quomodo ea quae Lucretius docet inter se conexa et apta cohaereant. Quantumque ingenium Lachmanni ad cognitionem codicum et ad textum constituendum, quantum diligentia Munronis ad studium sermonis Lucretiani et ad verba intellegenda, tantum Briegeri et Giussani sagacitas et subtilitas adiuvit ad carminis partium inter se cohaerentiam et argumentationum contextum perspicienda, sive quod primi locos antea obscuros rectissime interpretati sunt, sive aliis ad iustam interpretatione ansam dederunt; et libenter profiteor me ex studiis Briegeri et Giussani fructum cepisse maximum.

Quod si quis putaverit et hunc libellum qualemcumque aliquid bonae frugis attulisse, imprimis horum studiis laus tribuenda erit, quorum alterius mortem omnes, quibus studia Lucretiana cordi sunt, et lugent et lugebunt.

---

[1]) Idem fecit Bernays l.l. p. 586.

[2]) Perincommode tamen accidit quod multi homines, imprimis imperiti, sed interdum etiam rerum peritissimi, temere coniecturas pro certis ducunt, inter quos nominandus est Bossart (Das Wesen der Dinge von T. Luk. Karus metrisch übersetzt von Gustaf Bossart — Oerden. Berlin 1865.) qui ita carmen vertit, ut praeter alios versus quos ipse interpolatos duxit, omnes a Lachmanno seclusos reiecerit, id quod Polle recte reprehendit (Philolog. 26 p. 541) et nunc certe unusquisque improbandum esse iudicabit.

Caput II.

DE VERSIBUS, QUI IAM AB ALIIS SUO LOCO NULLA LACUNAS STATUENDI OPE VINDICATI SUNT.

I. DE LIBRO PRIMO.

I 6—9 [1]) Briegerum non recte secludere ostendunt Woltjer (Mnem. 1895 p. 326—8) et Giussanus (Rivista 1900 p. 6 sq.)

I 189. Munro post verba *ut par est;* Brieger et Bailey post 189 lacunae signum ponunt; Lachmann et Bernays proximo versu legunt *crescere resque.* Giussanus demonstravit omnia sana esse. Cfr. Riv. 1900 p. 7 et quod Polle scripsit Phil. 26 p. 299.

I 326 Brieger post 327 posuit et seclusit; refutatus est a Woltjero (Mnem. 1896 p. 71). Addo aequabilitatem [2]) in versibus 322—7 perspicuam esse; bis terni versus sunt; vox *quaecumque* eodem loco utriusque partis primi versus scripta legitur; initium utriusque partis contrariam inter se sententiam continet (quaecumque dies naturaque rebus paulatim tribuit — quaecumque aevo macieque senescunt); *cernere possis* et *tueri* in fine leguntur.

I 334, quem in Oblongo totum a correctore in litura scriptum Lachmann Bernays Munro Bailey Bentleio et Wakefieldo auctore reiciunt, Brieger defendit (Phil. 23 p. 465).

---

[1]) Numeris utor Lachmannianis i. e. codicum Leidensium.

[2]) De aequabilitate in numero versuum perspicua conferatur quod scripturus sum ad II 1139 sqq.

I 454, quem Lachmann Bernays Munro reiciunt, defendit Giussanus.

I 531 Brieger post 537 collocatum, Giussanus suo loco seclusit, quos refellit Woltjer Mnem. 1896 p. 311 sq. Cfr. Brieger Ann. Luc. 1900 p. 31. De formula *paulo ante* cfr. quae scripturus sum ad III 526 sqq.

I 568, quem Lachmann post 585 posuit, iam suo loco restituit Bernays (praef. p. 8). Idem (praef. p. 8—10) restituit ordinem versuum 806 sq., quos Lachmann locum mutare iusserat.

I 840. Brieger post hunc versum lacunae signum posuit, quem Giussanus in commentario suo refellit.

I 873. Munro et Bailey post hunc versum lacunae signum posuerunt, Brieger transpositum ante 870, Giussanus suo loco seclusit. Woltjer (Mnem. 1896 p. 317—9) locum sanum esse docet.

I 1114. Post hunc versum lacunam esse putant Munro et Giussanus. Verum vidisse mihi videntur Susemihlius et Brieger (Philol. 23 p. 641—3).

II. DE LIBRO SECUNDO.

II 43*b* ex Nonio a Lambino post 43 insertum Munro et Bailey ponunt post 46; Brieger lacunam esse putat inter 43 et 43*b*. Lambinum verum vidisse ostendit Woltjer (Neue Jahrb. 1879 p. 781 sq.). Causam autem cur excidisse aliquid statuamus inter 43 et 43b non magis ego video quam Giussanus (II p. 160).

II 165—83 Lachmann induxit, quem secuti sunt Bernays Munro Bailey. Versus defendit Brieger (proleg. p. 29).

II 281—3. Giussanus transposuit post 276, sed ab Heinzio (Gött. gel. Anz. 1898 p. 278) admonitus sensit eam transpositionem falsam esse (Riv. 1900 p. 222 sq.) neque tamen Heinzianam explicationem probat; ego vero simpliciorem Heinzianam interpretationem Giussanianae praeferendam esse arbitror.

II 308—332. Giussanus transposuit post 141, quem refutavit Brieger (Append. p. 211) et Heinze (Gött. gel. Anz. 1898 p. 277 sq.). Frustra obloquitur Giussanus in Rivista 1900 p. 19—21.

II 380. Post hunc versum Brieger (Phil. 24 p. 441) lacunae signum ponit, quod „der mangel der verbindung ist, wie so oft, das sichere zeichen einer lücke." Giussanus eum secutus est. Sed recte perspexit Polle (Phil. 26 p. 315 sq.) *animi* et *ratione* corrupta esse; numquam enim ex verbo exsolvendi pendere interrogationem, sed Lucretium semper addere obiectum; legendum igitur esse *rationem*, et vocis *animi* loco quaerendam esse particulam talem, qualem deesse Brieger recte vidit. Polle sic concludit: „Da diese zeile die letzte auf der, wie wir eben sahen, auch sonst schlecht erhaltenen 61. seite des archetypus war, so dürfen wir eine stärkere änderung nicht zu ängstlich fürchten. Man schreibe bis besseres gefunden wird perfacile est *porro rationem* exsolvere nobis. *Animi* wäre dann alte correctur für das unleserlich gewordene *porro*."

Sed pro *anima* scriptum esse *porro* credat Judaeus Apella; equidem puto magis ad litterarum ductum accedere *exim* et poetam scripsisse: *perfacile est exim rationem exsolvere nobis.*

Quod ad duplicem syllabam *ex*, conferatur 1, 220: „discidium parere et nexus exsolvere posset." Cfr. praeterea 5, 835; 6, 911 cet. *Exim* scriptum legitur 3, 160; versu 4, 101 Purmann coniecit *exin*. [1]) (*Exinde* legitur 5, 786).

II 474 sq. coniecit post 476 Lachmannus, quem Bernaysius secutus est. Verum ordinem primus restituit Goebel (Observ. Luc. p. 37).

II 501. Lacunam post hunc versum putant esse Munro et Giussanus. Textum corruptum correxisse mihi videtur A. E. Housman (Lucretiana, in: The Journal of Philology vol. 25; 1897 p. 226 sqq.), qui ex vocibus quae sunt *concharum tecta* eruit *concharum imitata;* ceterumque nihil mutat nisi quod cum omnibus editoribus praeter Lachm. proximo versu scribit *ridenti imbuta* et versu 503 cum omnibus *novo*. Ad *aurea pavonum saecla* confert Aristoph. fragm. 175 Kock: *τὸ χρυσοῦν .... ὀρνίθων γένος, τοὺς καλλιμόρφους καὶ περιβλέπτους ταῶς.*

II 522—8. Lachmann et Bernays secludunt. Giussanus eos refellit in commentario suo.

II 528. Post hunc versum lacunae signum ponunt Bernays et Brieger, quos redarguit Giussanus in comment.

II 600. Inde a Lachmanno omnes editores post hunc unum versum perisse statuunt. Lachmannus habet haec ad 600 sq: „Haec absurda esse Lambinus intellexit: neque enim *in curru* agitari leones possunt neque agitari *sedibus*. itaque ille fecit optime *Sublimem in curru*." Addit tamen sibi veri similius videri unum versum perisse, quod in

---

[1]) v. cl. J. Woltjer mecum communicavit se iam olim idem coniecisse, quod Purmannus.

Quadrato interstitium sit inter hunc et proximum versum. (Cfr. Woltjer Neue Jahrb. 1879 p. 780).

Attamen G. Albert (Philol. 56 p. 245) demonstrat versum non perisse: „Dass kein Vers ausgefallen sei läszt sich schon daraus vermuthen, weil sonst das Ebenmass der Stelle leiden müszte, indem bei der Gegenüberstellung von Symbol und Sinn stets gerade Verszahlen mit gleichen Hälften auftreten; zuerst vier, dann zweimal je zwei Verse, welche Symmetrie in dem angenommenen Falle für jedes nur halbwegs empfindliche Ohr unangenehm gestört würde, da sie geradezu ein Postulat der Concinnität des Vortrags ist. Vergleiche auch 610—7, wo dasselbe Gesetz herrscht." Cum Lambino tamen legere malim *sublimem*, quam cum Alberto *segnius*. Cfr. Brieger Ann. Luc. 1900 p. 27.

II 719. Post hunc versum aliquid excidisse putant Brieger et Giussanus, quamquam Lambinus iam correxit versum scribendo *eadem ratio res terminat*, quod recte probant Goebel (Quaest. Luc. crit. p. 11) et Bailey, qui Lambini correctionem in textum recepit. Nihil aliud afferunt Brieger et Giussanus ut Lambini coniecturam improbent, nisi quod *disterminare* verbum sit Ciceronianum ex Arateis. *Res* corrumpebatur in *dis* ex versus proximi vocabulo quod est *dissimiles*.

II 723 sq. Hos versus Brieger eiecit Gneissum (De versibus in Luc. carm. repetitis 1878 p. 54) secutus. Giussanus tamen recte eos explicat sic (II p. 237): „Lucrezio, spiegando il come e il perchè delle fisse diversità specifiche, era venuto a conchiudere, 721 722, che ‚le cose sono diverse, perchè composte di atomi di diversa forma' — un' affermazione che ha del singolare, e, presa alla lettera, si può dir falsa o esagerata; tanto che subito

vi mette il correttivo 723 724." Vide praeterea Rivist. 1900 p. 27 ad versus 688 sqq.

II 787. Post hunc versum lacunae signum ponit Brieger (prol. p. 46), quem refutat Giussanus (II p. 246 sq.; cfr. Riv. 1900 p. 27) et A. E. Housman (Lucretiana, in The Journal of Philol. vol. 25, 1897, p. 226 sqq.).

II 937—43 Brieger petitionem principii quam dicunt continentes ratus seclusit; iniuria tamen ut ostenderunt Woltjer (Mnem. 1896 p. 328 sq.) et Giussanus (II p. 268 sq.), qui cum Munrone Lambini correctionem (*convenienti* 941) iure recepit.

II 1170—2 auctore Bergkio (Neue Jahrb. 67, 1853 p. 319) post 1167 transportaverunt Munro, Brieger, Giussanus, Bailey. Ad id, quod contradicit Woltjer (Mnem. 1897 p. 321 sq.) hoc addo: poeta fecit discrimen inter personam agricolae et personam vinicolae. Ille caput quassat tantum et suspirat et laudat fortunas parentis; sed hic tempus incusat et coelum fatigat, quod Epicureo est deos implorare (cfr. 4, 1239). Ille gemit tantum miseriam animusque iacet; hic tamen miseriae causam novit remediumque: causa est impietas; remedium ipse adhibet deos implorando.

Potestne dubium esse uter dicere soleat antiquis hominibus, quod pii fuerint, deos fertiles agros reddidisse? Iam neminem semel admonitum negaturum spero artem Lucretianam, si ordinem versuum per coniecturam inverteris, obscurari.

Haec cum iam scripsissem vidi Heinzium fere eodem modo hunc locum interpretari (Götting. gelehrte Anzeigen 1898 April p. 279).

III. DE LIBRO TERTIO.

III 26 sq. Brieger seclusit, Woltjer defendit (Mnem. 1897 p. 322—6), ita tamen ut 23 sq. secludendos esse putet. J. Paulson (Eranos vol. 2 fasc. 3/4. 1897 p. 130—2) et hos et illos vindicat.

III 82. Munro anaphora, quae est in *hunc* vocabulo ter repetito, sublata versum excidisse post 82 censuit; ex editoribus, quorum nemo eum secutus est, ii recte locum interpretari mihi videntur, qui in *suadet* vocabulo mendum quaerunt.

III 189—95 iniuria a Bockemuellero et Briegero secludi ostendunt Heinze, Woltjer (Mnem. 1897 p. 326 sq.), Giussanus. Hoc addo et hunc locum non sine arte esse compositum; nam et demonstratio (182—8) et explicatio (189—95) et explicationis explicatio (196—202) constant septenis versibus. Denique utraque explicatio non solum incipit eodem vocabulo *(namque)*, sed et secundum utriusque enuntiatum incipit tertio versu formula, quae est *at contra*, qualem aequabilitatem amat Lucretius. Cfr. ne plures locos afferam 4, 72—89; qui continent explicationes duas, quarum altera alteram explicat, quae simili modo formatae sunt (nam. . . . . et; namque . . . . et; 4. 3; 4. 3.) et conclusionem, quae constat totidem versibus.

Deinde 5, 857—77; qui eodem modo constant ter septenis versibus, cuius loci secunda et tertia pars, quae eodem vocabulo *(at)* incipiunt, hac ratione sunt compositae: 4. 3; 4. 3. Iniuria Briegerum secludere 855—77 neque eos versus interrumpere carmen continuum iam confirmavit Giussanus (IV p. 105 sq.)

III 298 Lachmannus collocavit ante 296, Brieger praemisso lacunae signo seclusit. Recte tamen Woltjer monet (Mnem. 1897 p. 327 sq.) particulam *nec* esse negationem particulae *et* explicativae; et eos qui transponant aut secludant turbare aequabilitatem partium.

III 337 sqq. Versus 337—49 Brieger seclusit, Woltjer tamen (Mnem. 1897 p. 329—31) tam dilucide illustravit, ut dubium esse non possit, quin locus sanus sit.

Lachmann versus 350—95 seclusit, quem solus Bernaysius secutus est. Num iure secluserint videamus.

Lucretius 323—95 dicit de coniugio animi et corporis. Primum 323—49 *suam rationem demonstrat:* coniunctam, συμπαθῆ (cfr. Heinze comment. p. 99) esse eorum naturam sensumque fieri ab utroque coniuncto. Deinde 350—69 *refutat qui contra dicunt* corpus non sentire: cum (350—8) eos qui putant *animam* toto corpore permixtam sensum suscipere, tum (359—69) eos qui solum *animum* sensum habere arbitrantur. Denique 370—95 refutat Democriti sententiam, quae ad eandem rem pertinet, scilicet ad corporis et animae sensum.

Inde a versu 396 denique Lucretius docet animum anima dominantiorem esse ad vitam. (Cfr. Brieger prol. p. 51). Quod igitur Lachmann p. 166 dicit omnia commodissime procedere si 350—95 secludantur, verum est; sed inde non effici ut eas refutationes secludendas putes, unus quisque facile intellegit.

Eodem errore inducti secluserunt Lachmann et Bernays 5, 110—234, quos male, ut Brieger demonstrat (prol. p. 29), Munro secutus est; et 6, 85—89, quos defendunt Brieger (prol. p. 75) et Giussanus, qui simul proximos versus, 90 sq., defendit contra Munronem, quem hos versus eicientem Bailey secutus est.

III 358. Ante hunc versum Brieger Pollio auctore (Phil. 26 p. 329 sq.) lacunae signum posuit. Cfr. tamen quae scripserunt Susemihl (Phil. 27 in calce paginae 38), Giussanus (III p. 43 sq.), Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 23). Goebel (Obs. Luc. p. 31 sqq.) defendit versum 358 contra Bernaysium, qui Gassendum Gifanium Creechium secutus seclusit.

III 393 primus Marullus transposuit ante 392; omnes editores eum secuti sunt, quoad Munro Goebelio auctore (Obs. Luc. p. 40) ordinem restituit. Post eum Brieger solus Marullum sequitur. Et ego arbitror ordinem versuum mutari non debere; recteque Goebelium docuisse versum 393 non nisi de *animi* atomis dici posse; et tamen quod Goebel, quem Polle (Phil. 26 p. 330) Munro Heinze Giussanus secuti sunt putat construendum esse: „multa ciendum, priusquam animai semina sentiscant primordia (corporis) concussa" assentior Briegero dicenti ad eam sententiam e versibus non transpositis eliciendam Oedipode opus esse (Append. p. 216). Id quod Heinze sensit, qui adnotat haec (comment. p. 109): „Die Fassung ist nicht eben glücklich zu nennen: beim ersten Lesen wird man *primordia animai* verbinden, und erst nähere Ueberlegung lässt keinen Zweifel darüber, dass *semina* Subject, primordia object ist; ferner ist die Beziehung von *multa* nicht klar; endlich, wenn *primordia* im Gegensatz zu *animai semina* steht, erwartet man eine nähere Bestimmung dazu."

Quod ad *multa* attinet, sive cum Heinzio ipso absolute dictum esse putes („Vieles" p. 110), sive cum Giussano intellegere malis *multa primordia*, difficultatem non video; ceteras solvi arbitror, si locus sic explicatur, ut *primordia concussa animai* sit subiectum verbi quod est *sentiscant; semina* ..... *per artus* appositio vocis quae est *primordia*.

Poetae verba sic interpretor: „In nostro corpore multa (primordia) cienda sunt, priusquam id primordia animae concussa sentiant, quae omnibus corporis artubus inmixta sunt."

Denique animadvertendum Lucretianam aequabilitatem (392 *quam;* 394 *et quam*) restitutam esse.

III 412, 415. Priorem Quadratus habet in rasura; Lachmannus utrumque eiecit, Bernaysius induxit; Brieger priorem seclusit, alterum recte defendit (Prol. p. 52). Prioris constructionem *κατὰ σύνεσιν* (*eorum*) defendit Giussanus (II p. 51 et Rivista 1900 p. 32); Woltjer (Mnem. 1899 p. 47 sqq.) exemplis collectis docet initium versus (*id quoque enim*) plane esse Lucretianum.

III 430, 433 eieicti a Lachmanno, inducti a Bernaysio defenduntur a Giussano (II p. 56) et ab Heinzio (p. 116, 117).

III 444. Sive cum Woltjero legas *incohibens est*, sive cum Bergkio (Neue Jahrb. 1853 p. 321) et Nencino malis *incohibensque est* (vide Giuss. Riv. 1900 p. 35 sq.), sive putes ultimam partem versus ex praecedenti corruptam neque adhuc sanatam esse, hoc certe iure Woltjer (Mnem. 1899 p. 66) contra Briegerum, qui scribit *mage sit, cohibessit* et signo lacunae ante hunc versum posito secludit, quod eadem sententia bis scripta esset, contendit etiam in rebus philologicis esse petendum ut minima contentione res quaeque efficiatur.

III 592—606 transponuntur a Munrone post 575; a Giussano ante 615 versibus 798 sq. post 614 positis; secluduntur a Briegero. Woltjer (Mnem. 1901 p. 106 sq.) ostendit Bockemuellerum recte versus 603—6 coniunxisse cum iis qui sequuntur.

III 685—9. Versum 685 Bernays et Munro Lambinum secuti abiciunt, Giussanus secludit. Versus 686—9 transposuit Lachmann post 694, quem secuti sunt Bernays Munro Brieger Giussanus. Ista traiectio iam hac re improbatur, quod hoc facto necesse est aut 685 secludatur, aut, quod Lachmann et Brieger fecerunt, corrigatur. De Lachmanni coniectura nihil dicere praestat; coniecturae Briegerianae *afuat* non convenit particula adversativa *tamen;* si *afuat* poeta scripsisset, etiam usus esset particula conclusiva, velut *ergo, igitur.* At poeta dicit fere haec: „animus, si iam perfecto corpori inferri solitus est, debet velut in cavea sibi solus vivere, et tamen ita ut corpus sensu affluat". Quod absurdum esse minime necesse erat poetam dicere. Heinze, quem Bailey secutus est, codicum ordinem versibus 690—4 in parenthesi positis restituit et recte interpretatus est (p. 145 sq.), nisi quod ad 688 sqq. afferri malim 3, 218; 457; 2, 520 cet., ubi post conclusionem argumentum iteratur; et quod versum 690 ita explicare malim: „sed prorsus (cfr. Munron. ad 1, 377) e contrario manifesta res docet hoc fieri." Huic explicationi obstare locum quem in versu obtinet particula *contra,* id quod Giussanus (III p. 86) contendit, nemo credet. Itidem vox quae est *tamen* scripta legitur quinto loco et versus et sententiae 1, 399; 4, 1285; 6, 622. Nencinus (Rivista 24, 1896, p. 308) fere eodem modo ac nos explicat versum 690 neque mutat 685. Attamen ordinem codicum non vult servare, sed 684 sq. transponit post 694; deinde putat versum excidisse eandem sententiam continentem quam 690; post eum scriptum fuisse 686 sqq. Neque quisquam rationem perspexisset, nisi addidisset se putare 684 sq. a Lucretio in fine argumentationis positos esse, ut huc demum redire adversariorum opinionem indicaret.

III 701 a Briegero secluditur. Equidem sentio nunc, quod olim Brieger, cum Tohtum 701 sq. spurios putantem impugnaret (Ann. 1879 p. 196) sic locutus: „701 erscheint mir durchaus nicht überflüssig." Et Giussanus versum defendit (III p. 87—9; Rivista 1900 p. 37 sq.)

III 743 defendit Giussanus contra Lachmannum Bernaysium Munronem qui abiciunt, et contra Briegerum qui lacunae signo ante posito secludit. Idem defendit, ut iam fecit Purmannus (Neue Jahrb. 1853 p. 665 sq.), versum 764, quem Bernays includit, Brieger secludit; et impugnat Briegerum qui lacunam esse vult post 759.

III 805. Brieger ante hunc versum lacunam esse arbitratur (Phil. 27 p. 54 sq.). Haud tamen scio an recte Giussanus (I p. 222) contendat brachylogia poetam usum esse. Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 13) contra dicit haec: „Nun steht ja aber nichts einem *impossibile* entsprechendes da, sondern diversius aut magis inter se disiunctum discrepitansque." At Giussanus habet haec: „E la sincope potrebbe essere stata provocata dal terzo di quei tre sinonimi *discrepans*, che ha anche il senso di *contradittorio, assurdo;* Cfr. discrepat I, 582."

III 806—18 Lachmann Bernays Munro abiecerunt, Giussanus vindicat (I p. 219—25). Statuit tamen cum Briegero post 818 aliquid excidisse, quia illud *magis* (v. 819) prorsus ratione careat, et quia, nisi de *anima* sermo fuerit, illud *immortalis habendast* non habeat quo pertineat. Vitium vidit, remedium non invenit. Mihi persuasum est MAGIS corruptum esse, atque sub eo vocabulo latere MENS. Quodsi verum est, omnia recte procedunt. Vocabulum quod est *magis* etiam in textum se insinuavit 2, 533 et 4, 1225, ubi

Lambinus vidit legendum esse MINUS. *Immortalis mens* legitur 3, 612.

III 903. Brieger (Ein kind der Welt. Gegenwart 1875 n° 39 p. 169 sqq.) aliquid excidisse putat. Vide tamen Heinze et Giuss. (III p. 113).

III 912—8 Brieger secludit, Giussanus (III p. 111—3) cum Susemihlio seclusos traiecit post 930. Heinze (comm. p. 172—4) suo loco vindicat, id quod Brieger concedit (Berl. phil. Woch. 1898 p. 396; Append.; Ann. Luc. 1900 p. 22).

III 1011. Ante hunc versum lacunae signum ponit Giussanus, post ponunt Munro Brieger Giussanus Bailey. Cum Heinzio (p. 190 sq.) nihil excidisse arbitror.

III 1031 Secludentem Lachmannum nemo secutus est. Cfr. Heinze et Giuss.

IV. DE LIBRO QUARTO.

IV 1—25. Hos versus secludentem Lachmannum omnes editores secuti sunt excepto Giussano, qui (II p. 119 sq.) cum universe de versibus in carmine Lucretiano repetitis sapienter iudicat, tum hos et libro primo et initio quarti a poeta scriptos esse probat.

IV 41 sq. Post 41 lacunae signo posito Brieger 127 sq. traiecit ante 42. Contra dicit Giussanus (III p. 165).

IV 51—3 seclusit Brieger. Cfr. tamen Giuss. III p. 154 sq.

IV 129—42 secluduntur a Lachm. Bern. Munr. Bail.; transponuntur post 109 a Briegero, falso tamen, ut demon-

strat Giussanus III p. 163 sq. Ipse tamen putat 129—42 poetam postea addidisse, sed ita ut non optime cohaereant cum antecedentibus, quod „in essi nè del contrapposto alla tenuità nè dell' intento dimostrativo non si fa esplicitamente alcun cenno." Quae ratio tamen non sufficit, quia haud scimus quid in iis versibus poeta dixerit, qui inter 126 et 127 exciderunt. Concedo Giussano versus non loco movendos esse; sed eos non cohaerere cum antecedentibus, quorum partem non novimus, non prudentis est affirmare.

IV 195 traiectus est post 205 a Lachmanno et Bernaysio, restitutus a Munrone quem ceteri secuti sunt.

IV 203 traiectus post 188 a Bernaysio (praef. p. 10) restitutus est a Munrone, quem ceteri editores secuti sunt.

IV 230—8 non recte a Briegero post 97 traiectos esse Giussanus ostendit, id quod Brieger ipse candide confitetur in Ann. Luc. 1900 p. 13 et in Appendice p. 218.

IV 241 Brieger Kannengiesserum (De Luc. versibus transpon. p. 28) secutus lacunae signo subscripto traiecit post 243 (Ann. Luc. 1879 p. 200). Sed difficultates sustulit Giussanus (III p. 182).

IV 299—363 non interrumpere nexum nec verborum nec rationum recte contendit Giussanus (III p. 194) contra Briegerum qui eos seclusit.

IV 345 sqq. Giussanus, cum non perspexerit quales sint *flexus aequi*, lacunae signo post 345 posito transposuit 346 sq. post 331. Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 14) explicatos versus suo loco vindicat neque quidquam desiderari ostendit.

IV 418 sq. Lachmann quattuor vocabulis correctis

transponit 419 ante 418. Brieger duas voces corrigit et post 418 lacunae signum ponit. Giussanus ostendit omnia recte sese habere, si scripseris *caeli ut* pro eo quod Oblongus exhibet *caelum ut.*

IV 493 a Briegero (Phil. 29 p. 446 sq.) seclusum defendit Giussanus (III p. 207 et Rivista 1900 p. 180 sq.)

IV 508. Brieger (Phil. 29 p. 447) non intellecta vi verbi quod est *audere* aliquid excidisse putat post 508. Giussanianam quidem explicationem recte Brieger vituperat (Ann. Luc. 1900 p. 14). Sed Munro iustam explicationem mihi videtur dedisse, qua accepta nihil desideratur.

IV 752. Non necesse esse cum Briegero aliquid excidisse putetur ostendit Giussanus (III p. 233; Rivista 1900 p. 184).

IV 961. Brieger non corrigit vocem quae est *intus* et versum excidisse putat (Phil. 33 p. 445). Credo Lachmannum verum vidisse qui scribit *actus.* Vide etiam Giussan. III p. 251.

IV 1078—1101, 1110—2 Brieger secludit existimans hosce versus esse loci relliquias, qui, postquam poeta 1076 sq. et 1103 sqq. de eadem re aliis verbis scripserit, in carmine retineri non debuerit (Proleg. p. 28 sq.; Cfr. Phil. 33 p. 445 sq.). Giussanus versus non secludendos esse docet (III p. 261—3; Rivista 1900 p. 187—192). Addo iis seclusis perverti versuum aequalitatem, quae est perspicua in parte prima et altera demonstrationis, qua probat poeta amorem expleri non posse; nam in parte prima, quae est de amante amatam spectante et manibus contrectante, 1094—6 opponuntur tribus versibus qui sunt 1091—3; deinde sequitur comparatio cuius partes quaternos versus continent (1097—

1104); altera pars, quae est de amante qui in eo est ut muliebria conserat arva, constat ex bis quinis versibus ex quibus alteri quinque incipiunt ab illa voce quae est *nequiquam*, de cuius in aequabilitate usu infra dicemus ad II 1139 sqq.

V. DE LIBRO V.

V 26 sq. Brieger traiecit post 36; se autem errasse sensit a Giussano admonitus. Cfr. Append. et Ann. Luc. 1900 p. 15.

V 128—137 eiecit Brieger, defendunt Heinze (comm. p. 155) et Giussanus (IV p. 17—9), qui, quae Heinze minus recte dici putabat versibus 132 et 141, rectissime explicavit et sic concludit: „non c' è che il *sola* che resta sempre di troppo." Haud scio tamen an in verbis, quae sunt *sine corpore* (humano) *oriri sola*, illud *sola* ita explicandum sit, ut augendo vim vocis *sine* inserviat, et idem significet ac „*totum* extra corpus animale" (141).

V 175 sq. transponunt ante 174 cum Lambino Munro Brieger Bailey, ante 170 Lachmann et Bernays. Codicum ordinem mutandum non esse ostendit Giussanus (IV p. 23; Rivista 1900 p. 194 sq.)

V 261—72 Brieger (Ann. Luc. 1876 p. 169) transponit post 305, ut locus, qui ducitur a formula *quod super est*, totius argumentationis extremus sit. Primus qui versuum ordinem ob hanc formulam mutandum esse putavit, fuit Stuerenburg (De carm. Luc. libro primo p. 17); ille tamen cum putavit formulam *quod super est* semper significare *schliesslich*, mirandum in modum erravit, id quod senserunt

Woltjer (Mnem. 1896 p. 63 sqq.), Giussanus (IV p. 14; Rivista 1900 p. 5), Heinze (comm. ad 3, 350, qui locus cum eo de quo hic agimus comparandus est), Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 31), qui ita vertit: „was das nächste ist, was zunächst (oder: noch) in betracht kommt." Ergo usus formulae *quod super est* non impedit quominus ordinem versuum 261—72 minime mutandum esse statuamus; nec magis argumentorum ordo, quem sic defendit Giussanus (IV p. 33): „osservo che lasciandolo qui si ha la regolare progressione degli elementi dal più grossolano via via a quello più fino."

V 410 transposuerunt Lachmann et Bernays ante 409; non recte tamen. Cfr. Munr. et Giuss.

V 509—33 secludunt Lachmann Bernays Munro Bailey; transponunt post 563 cum Bockemuellero Brieger et Giussanus, quod de astrorum motu non hoc loco agi debeat. Woltjer autem (Mnem. 1895 p. 322—4) ostendit 509 sqq. alio loco atque in codicibus scripti legantur apte collocari non posse, sed iusto loco esse positos, cum Epicurus in eadem rerum coniunctione idem argumentum usurparit. Etiam in rerum tractatarum ordine nihil est quod offendat. Primum dicit Lucretius quomodo caelum et terra orta sint (416—508), cuius loci extrema pars est de aetheris motu. Deinde (509—33) rectissime sequitur locus de astrorum motu, quibus opponitur terra quiescens (534—63). Denique uberius tractat quaestiones de solis et lunae magnitudine, lumine motusque ordine (564—771). Ceterum hoc monendum iniuria Giussanum (IV p. 64) contendere 509 sqq. non recte succedere, paucis tantum versibus interpositis, versui 505, ubi credit sermonem esse de astrorum motu, quod falsum videtur. Woltjer (l.l. p. 324) explicat: „ignes e quibus constat *aether signifer*, ut mare ex aqua; non sunt astra."

Versum 514 a Lachmanno et Bernaysio transpositum esse post 516 loco male intellecto non est quod moneam; Munro suo loco restituit.

V 693 transposuerunt ante 692 Lachmann Bernays Brieger, quod non opus esse ostendit Giussanus (IV p. 86 sq.; Rivista 1900 p. 199 sq.).

V 696 Brieger legit *in partibus anni*, post quae verba versum excidisse putat. Cfr. tamen Giussan. (IV p. 87).

V 801—5 Giussanus seclusit. Brieger locum iam correxerat scribendo *animalia saecla* versu 791 pro eo quod codices exhibent *mortalia saecla*, quod semper *homines* significat.

V 1198—1203 Giussanus secludit, Brieger (Append. p. 225) defendit.

VI. DE LIBRO SEXTO.

VI 160. Ante hunc versum aliquid excidisse putat Giussanus, qui tamen a Briegero (Append.) refutatur.

VI 187 sq. Lachmann traiecit post 193 propter soloecismum, quem tamen defendit Munro. Nemo Lachmannum secutus est.

VI 228 sq. Alteram partem versus 228 et priorem versus 229 reiciunt Lachmann et Bernays. Cfr. tamen Giussan. IV p. 200.

VI 253 sq. abicit Brieger, defendit Giussanus (IV p. 203.)

VI 292. Vahlen (Ind. lect. Berol. 1881/2 p. 12—15) ita explicat *revocare*, ut cogitatione supplendum sit *terras*,

Brieger (Ann. Luc. 1881 p. 159) ita ut obiectum quod grammatici vocant non certum suppleatur, cuius verba haec sunt: „Es schwebt viel mehr an den beiden ersten Stellen [6, 286 opprimere, 292 revocare] ein unbestimmtes Object vor, wie bei uns, wenn wir sagen: *Er wagt sich zu schlagen, Die Kugel trifft* u. ä. Nicht anders ist es 6, 310 f. wo *pepulit* bedeutet *gestossen hat, perculit erschüttert hat.* Man vergleiche Caes. B. C. 1, 64, 1 und 71, 1 (sustinere) und 65, 3 (excipiebant), Liv. 2, 31, 5; 50, 5 u. s. w. Aehnlich dürfte auch *ciere* 5, 1251 kein bestimmtes Wort als Ergänzung fordern." Attamen in editione sua post *revocare* signum lacunae posuit; atque in prolegomenis (p. 77) dicit lectionem codicum Vahlenum non recte probasse. Lacunam statuere cum Giussano (IV p. 206) credo non necessarium esse, neque igitur probandum; sed aut cum Vahleno, cui Giussanus assentitur, cogitatione supplendum esse *terras*, aut obiectum non certum; inter quas rationes discrimen non magnum duco. Bentleianam autem coniecturam, quam Lachmann, Bernays, Munro, Bailey receperunt, quae est *revocari*, qua poetam dicentem faciunt aethera ad diluviem revocari, perspexit Vahlenus reiciendam esse.

VI 383—5 eicit Brieger Neumannum (De interpoll. p. 19) secutus, defendit Giussanus.

VI 674 Codices habent *fluvius qui visus maximus ei*, quod Giussanus Vahleno auctore (Ind. lect. Berol. 1881/2 p. 15 sqq.) frustra defendere conatur (IV p. 246 et Riv. 1900 p. 212) contra Briegerum (Append. et Ann. Luc. 1900 p. 17). Is scribit *maximu' cuiquest* post quod versum excidisse putat. Verum viderat Bentleius qui coniecit: „fluvius *quivis est* maximus ei", quod receperunt Lachmann Bernays Munro Bailey. „Sed non quaeritur"

inquit Brieger (Append.) „quid maximum sit, sed quid ingens sit, cfr. v. 677." At *maximum* credo saepius idem significat quod ingens. Cfr. 5, 473 maximus aether; 5, 481 maxima ponti plaga caerula; 6, 123 maxima moenia mundi; 6, 578 ventus ubi atque animae vis maxima quaedam. Quod denique Lucretius vocem quae est *maximus* alio sensu versu 674 usurpat, alio 677, non est quod miremur in poeta, in cuius versibus saepe vicinae sint voces eaedem notione discrepantes. Cfr. Vahlen l.l. p. 7. Munron. ad 1, 875.

VI 793 iniuria a Lachmanno, qui post 801 transposuit, suo loco remotus est. Cfr. Munr. Comment.

VI 840—7 Brieger secludit. Cfr. tamen Giussan. IV p. 263 sq.

VI 933 a Lachmanno et Bernaysio eiectum defendit Giussanus (III p. 180).

VI 948—50 a Briegero seclusos defendit Giussanus (IV p. 274 sq.).

VI 1262 Munro et Brieger non corrigunt *aestus* sed versum excidisse putant. Malim cum Bernaysio legere *aestu* nullo lacunae signo subiuncto. *Aestu* (i. e. calore aestatis) iungendum est cum verbo *accumulabat*. Cfr. cum hoc loco Liv. 3, 6, 3 „ea colluvio mixtorum omnis generis animantium et odore insolito urbanos et agrestem *confertum* in arta *tecta aestu* ac vigiliis angebat."

VI 1270 secluditur a Lachmanno Bernaysio Briegero. Vide tamen comment. Munronis et Giussani.

Caput III.

DE LOCIS QUOS VINDICARE CONOR.

I. DE LIBRO PRIMO.

I. 50—148.

Versus 50—61 et 136—145 quos Brieger seclusit, vindicavit J. Woltjer (Mnem. 1896 p. 62—68). Giussanus non seclusit sed versus ita collocavit: 62—79, lacunae signum, 136—145, 50—61, 80—135. Ut poetam hoc ordine versus posuisse probet, sex affert argumenta:

1. prooemio (vs. 62—79) locum esse antequam, non postquam poeta iam „disserere incipiam" dixerit; intolerabilemque inter versus 61 et 62 esse hiatum;

2. poetam neque uno tempore neque uno impetu bis (vs. 54—57 et vs. 127—135) quid carmine tractaturus esset dicere potuisse;

3. versus 136—145 neque cum antecedentibus neque cum insequentibus cohaerere et tamquam cuneum dissecare duas partes non seiungendas;

4. versus 146—148 a poeta tum demum ex libri sexti prooemio iteratos esse, cum versus 80—135 addidisset; *radios* enim *solis* et *lucida tela diei* in sexto libro, ubi homines qui in luce interdum timeant comparentur cum pueris qui omnia in tenebris metuant, aptissima esse; in primo libro, ubi ea comparatio desit, minime quadrare (Giuss. II p. 5);

5. Versus 40—43 scriptos esse cum Romani metuerent ne bellum civile exardesceret, anno scilicet 59 a. Chr. n.;

versus 50 sqq. cum aut Memmius nondum se contulisset ad rem publicam aut tempora essent quietiora;

6. frigidum et parum naturale ligamen esse inter versum 79 et 80 (Giuss. II p. 4).

Haec, quae mihi subtilius quam verius disputata esse videntur, refellere conabor.

1. Post invocationem Veneris dedicationemque ad Memmium Lucretius ut vacuas aures adhibeat Memmium rogat. „Nam tibi" inquit vs. 54 sq. „de summa caeli ratione deumque disserere incipiam et rerum primordia pandam." Ratio de primordiis illustrabitur tandem inde a versu 146, sed Lucretius *incipiet*, ut ipse dicit, de summa coeli deumque ratione disserere. Recte vidit Giussanus *incipiam* hic significare idem quod *inchoabo*, *exordiar*, neque cum Munrone facit, qui putat idem esse quod *conabor* („*incipiam*" inquit „rather attempt than simply begin"; vertit: „I will essay to discourse to you") qui tamen suo se gladio iugulat conferens IV 29, ubi continuo Lucretius de simulacris agere incipit. Quod vero est argumentum de quo poeta dicere incipit post versum 61?

Vers. 62 sqq. dicere incipit de *religione*, quae caput a *caeli* regionibus ostendebat, quam vicit Epicurus, quem neque fama *deum* nec conpressit *caelum;* sed ostendit non deorum arbitrio sed certis legibus naturae omnia fieri. Quare *religio* pedibus subiecta vicissim opteritur, nos exaequat victoria *caelo*. En habemus rationem deorum secundum Lucretium summam; sunt aliae de diis quaestiones: qua constent natura, ubi habitent, utrum beati et immortales sint necne; sed summa deorum ratio doctrinaque maximi momenti haec est, qua intelligitur sine deorum ope omnia oriri et vindicari; hac metus deorum tollitur; hoc est totius rationis principium (150).

Mihi igitur videtur summa caeli deumque ratio tractari inde a versu 62, atque *caeli deumque* figuram esse quam grammatici ἓν διὰ δυοῖν vocant pro eo quod est *deum caelestium.* Quod hoc loco poeta sequitur popularem opinionem, qua dii in coelo habitare putantur, scimus Lucretium sibi hanc licentiam sumpsisse veluti vs. 62 sqq. eadem de re; I 261 II 265, 268 III 299 de *mente* animalium (vide Woltjer, Museum V p. 322); eodem modo V 1233 *vis abdita* interpretanda esse mihi videtur.

Nihil igitur mutandum censeo, omniaque se recte habere; vs. 1—61 mihi videntur esse prooemium totius carminis continens invocationem ad Venerem et dedicationem ad Memmium; vs. 62—145 prooemium esse libri primi continens introductionem ad argumentum. Quando vero ultimus versus totius carminis prooemii est vs. 61, versus 62 autem primus prooemii libri primi, non mirum est Giussanum intolerabilem hiatum statuere inter hos versus quos transitione carere consentaneum est.

2. Ars poetae in hoc quod tractamus carminis initio admirabilis est, siquidem est summa ars artem arte celare. Poeta statim post invocationem Veneris omnibus ambagibus quae taedium moveant relictis ad rem ipsam transit et tamen omnia quae praefari vult ita artificiose subtexit, ut non consilio sed rerum serie ductus videatur. In hoc carminis initio, quo argumentum tractare incipit, simul indicat eam ob causam se scribere, ut terrore animi et ignorantia homines liberet; ostendit quid in primo librorum pari tractaturus sit (vs. 54—57), quid in altero (vs. 130—135), quid in postremo (vs. 127—130); atque, ut Woltjer recte demonstravit, efficit id quod rhetores Lucretii aetatis docebant: auditores attentos dociles benevolos esse faciendos (ad Herenn. I § 6—8).

Philosophus prosa oratione usus harum omnium rerum suo quamque loco dixisset certa via ac ratione; philosophus enim ante omnia perspicuitati studet. Quod autem poeta qui et prodesse et delectare vult non deinceps singulas res enumerat, quas singulis libris scripturus est, sed artificiose et facit et facere se dissimulat, non solum non improbandum sed laudandum esse existimo. Neque minus miror nonnullos viros doctos hoc improbare quam fuisse qui verba Ciceronis ad Quintum fratrem 2, 11 „multae tamen artis" vocabulo quod est *non* addito emendasse sibi viderentur.

3. Duobus igitur locis Lucretius agit de rebus sibi tractandis; eisdemque locis addit quaedam de lingua; priore loco, quo dicit se de rerum primordiis acturum esse, addit se pro primordiis etiam alia vocabula usurpaturum esse, veluti materiem, genitalia corpora, semina rerum, corpora prima; altero loco, cum loquitur de iis rebus quas tractaturus est libro tertio et quarto, de anima et animo et simulacris, quae res difficillime explicentur, „Nec me fallit" inquit „obscuras res versibus illustrare difficile esse propter linguae egestatem et novitatem rerum. Sed tua, Memmi, virtus me suadet quemvis laborem sufferre." Sic ad Memmium rediens poeta finem facit prooemii et nunc demum, id quod ipse vs. 149 indicat, opus aggreditur ex hoc principio exorsus, quo demonstratur nullam rem e nilo gigni.

Videmus igitur postremam prooemii partem (vs. 136—145) qua poeta loquitur de difficultate linguae bene cohaerere cum versibus qui praecedunt, ubi enumerat omnium de quibus rebus disserere in animo habet difficillimas.

Cum autem postrema prooemii pars aptissima sit in qua de linguae difficultate et egestate agatur, nullum agnoscimus hiatum inter illam postremam prooemii partem et operis initium.

4. Versibus 136—145 „Nec me fallit" inquit poeta „Graecorum obscura reperta difficile illustrare latinis versibus esse . . . . sed tua me virtus quemvis sufferre laborem suadet

quaerentem dictis quibus et quo carmine demum
clara tuae possim praepandere *lumina* menti,
res quibus *occultas penitus* convisere possis."

Postquam hisce verbis prooemii finem fecit, poeta sic pergit:

Hunc igitur terrorem animi *tenebras*que necessest
non *radii solis* neque *lucida tela* diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Claro lumine opus est Memmii menti, ut cernat res *penitus occultas*. Eius igitur mens *tenebris* quasi obscurata est, sed iis tenebris, quae non *radiis solis* sed naturae ratione discutiantur, quaeque causae sint animi terroris falsa de dis opinione (vs. 62 sqq.), poetarum de poenis in morte aeternis terriloquis dictis (vs. 102 sqq.) mortuorumque simulacris (vs. 132 sqq.) hominibus iniecti.

Neque ego video hic difficultatem neque credo quemquam visurum fuisse, nisi poeta aliis locis eisdem versibus (146—148) usus esset comparationemque puerorum in tenebris timentium addidisset. Vide praeterea Brieger. Ann. Luc. 1889 p. 232; 1881 p. 154; 1879 p. 198.

Dicebam tenebras Lucretio causas esse terroris animi, id quod ipse et aliis locis et hoc ipso loco affirmat cum dicit *terrorem* tenebrasque discuti naturae ratione. Miror igitur Giussanum (Note Lucreziane. Riv. 1900 p. 4) dicere non dubitari posse quin vs. 146 iungendus sit cum versu 135, propterea quod *hunc terrorem animi* Lucretius dicat illum terrorem de quo sermo esset vs. 102—135. Id quod non nego; sed non video cur poeta uberius locutus de

animi terrore rationi contrario (110—112 „timendumst. Ignoratur enim"; 62 sqq. 105, 108, 127), cum clarum lumen se afferre pollicitus sit, quo res occultae cerni possint; non video cur, cum philosophus additurus fuerit non radios solis sed naturae rationem *hoc lumen afferre*, vel *has res occultas* non radiis solis sed naturae ratione *illustrari*, poeta scribere non potuerit „hunc igitur *terrorem animi tenebrasque* necessest non radii solis *discutiant*, sed naturae ratio."

Illud *hunc* enim et pertinet ad terrorem et ad tenebras (has) cogitandum est. Non enim credo quidquam interesse inter *hunc terrorem tenebrasque* et *has tenebras terroremque*, siquidem ea vocabula quae sunt *terror* et *tenebrae* hoc loco ea posita sunt figura, quam ἓν διὰ δυοῖν appellare solemus, id quod supra probare conatus sum.

5. Redeo nunc ad vs. 40—43 et vs. 50 sq. quos Giussanus putat non posse eodem tempore scriptos esse. Nimia poetaeque minime aequa sagacitate Giussanus inquirere in hosce versus mihi videtur. Si verba spectamus, non solum Memmius semotus a curis carmen legere non potuisset illo tempore iniquo, de quo sermo est versu 41, sed ne scribi quidem potuissent a poeta, qui „neque nos" inquit „agere hoc patriai tempore iniquo possumus aequo animo." Poeta iniquo tempore metuit ne Memmius versus legere, ipse scribere prohibeatur. Sed tamen et ipse scribere pergit, et Memmium adhortatur ut animo attento semotoque a curis legat.

6. Restat ut respondeam ad id, quod Giussanus dixit de „frigido et parum naturali ligamine" inter vers. 79 en 80. Nam quod dicit vocabulum *illa*, in fine versus 82 positum, indicare spatio maiore interposito poetam de religione locutum esse, haec difficultas, si modo est, facillime tollitur, si cum Munrone interpretamur per *illam infamem*.

Idem valet de locutione *illud in his rebus*, quam Giussanus (Riv. 1900 p. 6) ipse explicat. Redeo igitur ad cohaerentiam versuum 79 et 80.

Poeta postquam de laudibus Epicuri, quem ut deum veneratur, et de religione, qua nihil hominibus perniciosius esse credit, poetico furore inductus cecinit, gaudioque exsultans exclamavit:

quare religio *pedibus subiecta* vicissim *opteritur*,

recordatur se non sibi Epicureo sed Memmio, quem doctrinam Epicuri doceat, scribere sentitque illum potius talibus religioni infestis verbis deterreri et „vereor" inquit „ne forte rearis impiam viam te ingredi." Poeta lyricus certe alio modo locutus esset, sed Lucretius qui carmen didacticum scribit, quo res difficillimas illustrare conatur, bene intellexit sibi discipuli causa scribenti lucem afferendam esse, sibi res illustrandas esse; ideoque suum animum cohibere nobis videtur, qui tamen iterum atque iterum poetico furore erumpit, sed semper a philosopho refrenatur et reprimitur. Eodem modo postquam poeta pulcherrime descripsit Iphigeniae sacrificium, Lucretius sic pergit: „Tutemet a nobis descissere quaeres."

Nullam igitur causam video cur credamus prooemii libri primi ordinem mutandum esse, cuius conspectum infra addo:

I. Totius carminis prooemium.

Vs. 1—43. Lucretius invocat Venerem, Romanorum genetricem, rerum naturae gubernatricem, sine qua neque quidquam oriatur nec pulchrum fiat, Memmii fautricem, Martis amicam, ut carmen, quod latinis versibus de rerum natura Memmii causa scripturus sit, adiuvet pulchrumque faciat atque placidam petat a Marte pacem.

Vs. 50—61. Post lacunam carmen dedicat Lucretius Memmio, quem hortatur ut intento animo legat; se enim disserere incipere de dis [statim] et deinde de atomis [libro I et II].

II. Prooemium libri primi.

Vs. 62—79. Non deorum arbitrio, sed certis legibus naturae omnia fieri Epicurus ostendit, qui religioni primus obstitit.

Vs. 80—101. Noli vereri ne te impium faciam, si religionem oppugno; illa falsa de dis opinio peperit impia facta, ut apparet ex sacrificio Iphigeniae.

Vs. 102—135. Neque minus falsa est opinio poetarum de aeternis in morte poenis, quae hominibus metum affert. Ignorantia illas falsas et terrificas opiniones peperit. Quapropter bene nobis ratio habenda est cum superis de rebus [libro V et VI explicatis], tum de animi natura [libro III et IV illustrata].

Vs. 136—145. Quamquam me non fallit difficillimum esse haec versibus illustrare, tamen studiose operam dabo, ut lucem tibi, Memmi, afferam.

Videmus artem auctoris, qua hoc prooemio eum qui legit *attentum* facit, cum polliceatur se et timore deorum mortisque liberare et veram naturae rationem docere; *docilem*, cum res quas illustraturus est breviter exponat; *benevolem*, cum et inopiam suam reique difficultatem proferat et magnum suum erga Memmium amorem testetur.

Haec postquam scripsi, vidi apud Fr. Susemihlium (Phil. 44 p. 748) iam Kannengiesserum (Memmius im Gedichte des Lucretius, Neue Jahrb. 131, 1885 p. 62 sqq.) vidisse alte-

rum prooemium contineri versibus 1—61, alterum 62 sqq.; quamquam minus recte illos non partem carminis fuisse putat sed epistulam Memmio simul cum libro primo missam. Kannengiesser me docet Munronem olim (früher) coniecisse poetam primo versus 62—135 scripsisse, postea 1—61 addidisse; et Bockemuellerum suspicatum esse versus 1—43 epistulam fuisse Memmio missam. Quod Kannengiesser putat versus 27 et 102 sqq. non de eodem homine eodem tempore dici posse, non dispicio hominem et religiosum esse et omnibus ornatum excellere rebus non posse.

I 205—207.

Hos versus sua sede removent atque collocant post versum 214 Stuerenburgium et Bockemuellerum secuti Brieger et Giussanus, quod conclusionem contineant totius argumentationis, qua inde a versu 159 usque ad versum 215 a Lucretio probetur nil ex nilo gigni.

Giussanus putat poetam postremum argumentum (vs. 208—214) aliquanto post argumentationi addidisse. Sed credere vix possum Lucretium olim omisisse id argumentum, cuius Epicureo praeter cetera in mentem venisse consentaneum sit; cur enim homines magno labore colerent agros, nisi crederent suo labore res melius crescere? Nemo tam rusticus est, quin sciat hunc laborem minime supervacaneum esse. Hoc argumentum non opus est probari, memorari satis est. Esse enim *videlicet* in terris primordia rerum (vs. 210). Idem valet de argumento quarto (vss. 192—198), quo dicitur non sine cibo animalia vitam tueri; id quod poeta sensit, qui non ut in ceteris quattuor argumentis contentus erat, si nihil nisi conclusionem adderet, sed simul significat rationes naturae postea copiosius expli-

candas: quartum enim argumentum concludit hisce versibus (196—198):

ut potius *multis communia corpora rebus*
multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
quam sine principiis ullam rem existere posse.

qua de re agit libro II vss 581— 699; sextum argumentum concludit hisce versibus (213 sq.):

quod si nulla forent, nostri sine quaeque labore
sponte sua multo fieri meliora videres.

Tenendum est Lucretium docere nullam rem e nilo gigni *divinitus* unquam. Si igitur verum non sit quod probare conatur, concedere se debere existimat omnia a dis procreata esse, et idcirco sine vitiis esse; qua de re agit libro V vss. 195—234, ubi docet non a dis naturam rerum procreatam esse, quippe quae „tanta stet praedita culpa." Sed sive Lucretius versus 208—214 statim addidit, sive aliquanto post, suo loco in manuscriptis legi versus 205—207 existimo. Hi enim versus pertinere mihi videntur ad argumentum quod antecedit. Versibus enim 199 sqq. ex eo, quod neque immani statura homines neque, qui multa saecula vivant, gigni possunt, probatur materiam certam rebus redditam esse, e qua constet quid possit oriri. Quo dicto pergit versibus 205—7: „nil igitur fieri de nilo posse, semine quando rebus opus sit, quo creentur".

Non video quam ob causam Giussanus negaverit hosce versus 205—7 non pertinere ad argumentum praecedens; ait enim haec (II p. 38): „205—7 sono manifestamente conclusione non dell' argomento 199—204, *pel quale non vanno*"; sed rationes non addit. Non dico 205—7 non pertinere posse ad cuncta sex argumenta a poeta prolata; neque loco removerem, si legerentur in manuscriptis post versum 214; sed hoc contendo, cum bene quadrent post versum

204, nullam esse causam mutandi. Quod si tota argumentatio conclusione careret (vss. 159—214), non esset causa cur offenderemur, id quod Giussanus ipse concedit (Riv. 1900 p. 220); dicit enim saepius clausula carere argumentationes, confertque ipse argumentationem quae sequitur (vss. 215—264). Sed tamen putat argumentationi, de qua sermo est (159—214), iustam clausulam deesse non posse, quippe quam poeta revera addiderit; „quia autem" inquit „poeta addidit, addidit suo loco, id est in fine argumentationis." At errat Giussanus; nam in proxima quoque argumentatione, cui clausulam ipse concedit deesse, poeta addidit bis conclusionem non in fine quattuor argumentorum positam. Clausula argumenti secundi est vs. 237:

haut igitur possunt ad nilum quaeque reverti;

tertii argumenti vss. 248 sq.:

haut igitur redit ad nilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpora materiai.

Haud igitur versus loco movendos esse censeo, sed potius admiramur artem poetae, qui et mathematicorum rationem vitavit et tamen effecit ne quidquam desideraretur; postrema enim sententia argumentationis, qua probatur nil ex nilo fieri, incipit verbis his (213): „quod si nulla forent (primordia)"; [1]) et postrema sententia, quae finem facit ambarum argumentationum, quibus probatur nil ex nilo fieri neque quidquam ad nilum perire, quae argumentationes, ut verba „huc accedit" (vs. 215) ostendunt, arte cohaerent, haec verba continet: „haud igitur penitus pereunt quaecumque videntur," et haec: „nec ullam rem

---

[1]) Cfr. quae infra dicemus ad III 798 sq. de clausulis, quae incipiunt ab formula *quod si*.

gigni nisi morte adiuta aliena" (262—4). Poeta artem arte dissimulat.

I 434 sq.

Lachmannus auctore docto quodam Italo (in margine codicis Florentini 32) locum mutare iussit, quem secuti sunt Bernays, Munro, Giussanus. Recte Giussanus (II p. 60 sq.) dicit augmen hoc loco significare quantitatem, magnitudinem (cfr. etiam Woltjer, Neue Jahrb. 1879 p. 773 sq.), sed fallitur cum negat de inani dici posse. Vult enim augmen significare „grandezza, nel senso appunto di *mole*, non già di *pura estensione*, nel qual senso soltanto potrebbe applicarsi anche al vuoto"; quam ob causam ordinem versuum mutat. Sed errat, nam Lucretius ipse 5, 681 dicit hoc: „cum sumant augmina *noctes*." Neque igitur ordinem codicum mutandum esse censeo.

Ceterum facio cum Giussano (l.l. et Rivist. 1900 p. 8) lectionem codicum v. 433 defendente contra Briegerum, quem *aliquo* legentem Baileius sequi non debebat.

I 464—470.

Brieger hos versus seclusit et lacunae signum posuit inter vs. 469 et 470 (cfr. Brieger praefat. p. XXVIII; Ann. Luc. 1889 p. 217 et 229); quem refellit Giussanus (II p. 64—66; Riv. 1900 p. 8), sed ita ut hos versus dicat malos, quibus desit vis logica atque subtilitas (precisione); neque versus 469 sq., nisi explicatio addita sit, satis perspicuos esse. Addit se mirari Lucretium hoc tantum demonstrare eventa per se non esse, sed argumentis non firmare coniuncta et tempus per se non esse; quam ob rem putat aut aliquot versus a librario omissos esse, aut Lucre-

tium hunc locum imperfectum reliquisse, neque ei postremam manum admovisse.

Sed ea argumenta iniuria a Giussano prolata esse probare conabor.

Contendit Giussanus vim logicam primo argumento (464—470) deesse; neque quisquam nunc aliter sentiet. Nobis, qui et aliarum gentium linguas discunt, plane perspicuum est verbum *esse* non semper significare *existere;* sed neque Graeci, neque Romani eius rei sibi rationem reddiderunt. Inter cavillationes, quas Aristoteles diluit, plurimae ex tali errore originem duxerunt. Idem valet de argumento quod Lucretius hoc loco impugnat. Stoici aiebant bellum Troianum esse i. e. existere per se. Lucretius contra non negat bellum illud existere, sed negat existere per se, quia, quamquam homines illius aetatis fuerint, loca exstent, quorum eventa sint. Non utrum nobis haec explicatio satisfaciat, sed utrum antiquis hominibus satisfecerit, rogare debemus. Si Phaedo, quo inter Platonis opera vix clarior liber extat, scatet captionibus dialecticis, iure contendere non possumus auctoris Epicurei postremam manum deesse ei loco, qui talem captionem contineat.

Quod ad perspicuitatem attinet, credo explicationem Giussani veram esse, sed poetae argumentatio non tam abstrusa est, quam putare videtur. Ii, quos Lucretius impugnat, aiunt Troianum bellum existere per se, quia eos homines, quorum eventum sit, aetas iam abstulerit. „Ita est" inquit Lucretius „sed illud bellum partim modo eventum est illorum hominum; partim quoque locorum, quae exstant, ad quae igitur nunc quoque bellum illud pertinere potest." Abstrusis explicationibus hic opus esse non credo. Nobis difficultates versus 469 sq. praebuerunt, quia sine dubio corruptela inerat; *terris* enim scriptum legitur in codicibus, quod vo-

cabulum Lachmannus in *per se est* mutavit; Bernaysius tandem correxit, qui scripsit *saeclis*.

Lacunae, quam Brieger putat esse inter vs. 469 et 470, non magis quam Giussanus rationem video.

Reliquum est ut loquar de quaestione, quare Lucretius non demonstret *coniuncta* quoque et *tempus* per se non esse. Dicam quod sentio. Mihi videtur Lucretius utrumque fecisse.

„Ergo" inquit vs. 445 sqq.

Ergo, praeter inane et corpora, tertia per se
nulla potest rerum in numero natura relinqui . . . .
nam quaecumque cluent, aut his coniuncta duabus
rebus ea invenies aut harum eventa videbis.
Coniunctum est id quod nusquam sine *perniciali*
discidio potis est seiungi seque gregari;
pondus uti saxis, calor ignist, liquor aquai,
tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Servitium contra, paupertas, divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum
adventu *manet incolumis* natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.

Paupertas, libertas, servitium, cetera *eventa* si abeunt ab homine, homo manet incolumis; credere igitur possis libertatem cet. per se esse; pondus tamen si abit a saxo, calor si abit ab igne, nihil restare videmus neque pondus neque saxum, nec calorem nec ignem: neque pondus igitur nec ardor nec cetera coniuncta sine rebus esse possunt. *Ex definitione* igitur coniunctorum Lucretius efficit ea per se esse non posse.

Postquam poeta dixit quid esset coniunctum et ita dixit ut inde iam appareret coniuncta per se esse non posse, docet quid sit eventum, inter quae eventa et *tempus* est, de quo dicit poeta haec vs. 459—463:

tempus item per se non est, sed *rebus ab ipsis*
consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
nec per se quemquam tempus sentire fatendumst
semotum ab rerum motu placidaque quiete.

Sensus igitur nos docet tempus per se non esse. Sensum autem Epicuro summum criterium esse, qui carmen legunt iam sciunt; vs. 422 sqq. enim Lucretius ita locutus est:

corpus enim per se communis dedicat esse
sensus; cui nisi prima fides fundata valebit,
haut erit occultis de rebus quo referentes
confirmare animi quicquam ratione queamus.

Idem dicit poeta vs. 699 sq:

quid nobis certius ipsis
sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus?

Demonstrasse igitur mihi videor neque in hisce versibus, de quibus agimus, vim logicam neque perspicuitatem desiderari et Lucretium non solum efficere eventa, sed etiam coniuncta et tempus per se esse non posse.

Quod si ita est, nullam video causam cur credamus huic loco poetam postremam manum non admovisse.

Hoc addo iam ex ratione, qua Lucretius hoc loco disputet de coniunctis et eventis, apparere Epicureos tales res non summa cura tractasse; et iure improbat Brieger nimiam subtilitatem, qua Giussanus Epicuream de coniunctis et eventis doctrinam enucleare conatus est. Brieger dicit haec (Berl. phil. Woch. 1898 p. 297): „Giussani entwickelt eine Theorie der Coniuncta und Eventa, die viel zu fein ist, als dass Epikur sie ersonnen haben könnte . . . . Die Frage interessirte ihn nur soweit, wie sie eine praktische Bedeutung hatte, wie sich die Feststellung der beiden Begriffe gegen die Philosophen verwenden liess, die Abstracta zu

lebendigen und wirkenden Mächten erhoben" e. q. s. Vide praeterea Ann. Luc. 1896 p. 175—7.

I 518 sq.

Hos versus Gneissius interpolatos existimat; Giussanus (I p. 41) Lucretianos esse ratus nec tamen iustam clausulam esse argumenti quod praecedit (vss. 511—517), sed alteram clausulam argumenti, quod continetur vss. 528—537, lineolis seclusit. Brieger tamen eum iam refellit (Ann. Luc. 1896 p. 159 et Append.), neque verbum adderem, nisi Giussanus (Riv. 1900 p. 8—10) denuo rem tractasset.

Ibi dicit clausulas Lucretianas nihil continere nisi id, quod est demonstrandum, atque saepe rationem principalem (ragion fondamentale), numquam tamen id quod, quamvis inde effici possit, argumentis non iam firmatum sit (conseguenza ulteriore).

Quod verum esse nego; supra enim iam vidimus versu 214 („sponte sua multo fieri meliora videres") id contendi, quod libro demum quinto vss. 195—234 demonstratur; et in eadem argumentatione vss. 196 sq. clausula continet id quod tractatur libro II vss. 581—699.

Deinde Giussanus contendit versibus 518 sq. idem dici, quod versibus 538 sq.; neque eas clausulas nisi verbis differre. Brieger autem recte attendit ad illud discrimen, quod est inter verba *potest* et *necessest:* versibus 518 sq. enim hoc dicitur: „materies igitur esse aeterna *potest;*" versu 539: „sint haec (corpora prima) aeterna *necessest.*"

Refutatis argumentis a Giussano prolatis nunc tandem videamus quomodo versus 518 sq. explicandi sint.

Postquam poeta dixit nil e nilo fieri, neque quidquam penitus perire, necesse igitur esse confiteamur corpora

existere ita parva ut videri non possint; et postquam confirmavit nihil esse nisi corpora et inane, sic pergit vss. 483 sqq.:

Corpora sunt porro partim primordia rerum,
partim concilio quae constant principiorum.
Sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis
stinguere: *nam* solido vincunt ea corpore demum.
etsi difficile esse videtur credere quicquam
in rebus solido reperiri corpore posse.
transit enim fulmen e. q. s.
usque adeo in rebus solidi nil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio naturaque rerum
cogit, ades, paucis dum versibus expediamus
esse ea quae *solido atque aeterno* corpore constent.

Ex illo vocabulo quod est *nam* (vs. 486) iam satis apparet soliditate aeternitatem firmari; si solida sunt primordia, sint aeterna necesse est. (Conferas versus 528—531 cum vs. 221—224 et vide Woltjeri disputationem Mnem. 1896 p. 311 sq.). Postquam igitur poeta probavit materiem solidam esse, recte clausulam addere potest hanc (vs. 518 sq.):

materies igitur, solido quae corpore constat,
esse aeterna *potest*, cum cetera dissoluantur.

id quod Brieger (Ann. Luc. 1896 p. 159) recte ita vertit: „so ist damit die Möglichkeit ihrer Unzerstörbarkeit gegeben."

Quo dicto Lucretius argumenta affert ut probet materia, quae sine inani sit, aeterna sit *necesse esse*.

Versibus 215 –265 Lucretius demonstravit fieri non posse ut materia pereat; ex qua conclusione negativa sequitur ut materia sit aeterna. Versibus 483—634 demonstrat materiam esse solidam, ex qua conclusione affirmante sequitur ut materia sit aeterna. Diversis igitur duabus argumentationibus confirmavit aeternam esse materiam.

I 547.

Post hunc versum lacunae signum ponit Giussanus versus non paucos excidisse existimans. Putat enim argumentationem, qua probetur primordia esse solida et aeterna, absolvi versu 547; sed deinde incipere alteram, qua probetur primordia esse simplicia et individua.

Quod rectene iudicatum sit ut videamus, audiamus singulorum argumentorum singulas conclusiones:

argumenti primi vs. 510:

sunt igitur *solida* ac sine inani corpora prima.

argumenti secundi vs. 518 sq.:

materies igitur, *solido* quae corpore constat,
esse *aeterna* potest, cum cetera dissoluantur.

argumenti tertii vs. 538 sq.:

ergo si *solida* ac sine inani corpora prima
sunt ita uti docui, sint haec *aeterna* necessest.

argumenti quarti vs. 548—550:

sunt igitur *solida* primordia *simplicitate,*
nec ratione queunt alia servata per aevom
ex infinito iam tempore res reparare.

argumenti quinti vs. 561 sq.:

at nunc, nimirum, *frangendi reddita finis*
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus.

argumenti sexti vs. 574:

sunt igitur *solida* pollentia *simplicitate.*

argumenti septimi vs. 581—583:

at quoniam *fragili natura* praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse manere
innumerabilibus plagis vexata per aevom.

argumenti octavi vs. 591 sq.:

inmutabili' materiae quoque corpus habere

debent, ni mirum.

argumenti noni vs. 609—614:

sunt igitur *solida* primordia *simplicitate*,
quae minimis stipata cohaerent partibus arte,
non ex illarum conventu conciliata,
sed magis *aeterna* pollentia *simplicitate*,
unde neque avelli quicquam neque deminui iam
concedit natura reservans semina rebus.

argumenti decimi vs. 624—627:

victus fateare necessest:
esse ea quae nullis iam praedita partibus extent
et minima constent natura. quae quoniam sunt,
illa quoque esse tibi *solida atque aeterna* fatendum.

Argumento undecimo, quod est ultimum, clausula deest, qua de re conferas quae diximus ad versus 205—207.

Sed iam videmus argumentorum, quippe quibus conclusio addita sit, postremo hoc demonstrari primordia esse *solida atque aeterna*, id quod Lucretius sibi demonstrandum esse dixerat versu 500.

Rectissime igitur Brieger (Ann. Luc. 1896 p. 159 sq.) impugnat Giussanum contendentem discrimen esse inter simplicitatem et soliditatem atomorum. Giussanus contra (Riv. 1900 p. 11) dicit solidam simplicitatem esse continuitatem materialem sine compositione substantiali (continuità materiale senza composizione sostanziale); sed non video id aliud esse nisi soliditatem sine inani, idem igitur quod soliditatem. Corpus *solidum* significat corpus sine inani; corpus *simplex* significat corpus, quod constet una re. Quia autem omnis natura duabus consistit in rebus: corpore et inani (vs. 419 sq.), corpus simplex significat corpus sine inani, idem igitur quod corpus solidum. Quod poeta loquitur de *solida simplicitate* est illud abundans dicendi genus, quo poetam usum

esse et alibi novimus et vs. 510 et 538 ubi dicit *solida ac sine inani* corpora prima. A. Kraetsch (De abundanti dicendi genere Lucretiano. Berolini 1881 pag. 59) adiectiva abunde apposita enumerans, quae alliteratione excusantur, *solida simplicitate* addere poterat.

Deinde Giussanus contendit neque versibus 551 sqq. neque versibus 577 sqq. agi de soliditate sed de rerum frangendarum fine; neque idem esse si dicat poeta primordia solida esse ac si dicat primordia frangi non posse. At idem esse poetae contendo, qui iam dixerat versibus 532 sq.:

nam neque conlidi sine inani posse videtur
quicquam nec frangi nec findi in bina secando.

Neque hoc Giussanus scripsisset, si recte interpretatus esset versus 551 sqq. et versus 577 sqq. Contendit haec (Riv. p. 12 sq.): „si nullus finis est frangendis rebus, non sequitur ut materia aeterna non sit; sed sequitur ut materia aeterna sit; nam si nullus est finis frangendi, res frangentur usque in tempus aeternum; semperque existent particulae, quamvis parvae sint, quae frangentur."

Haec tamen subtilius quam verius disputata esse ostendunt Lucretii versus 577—583:

Porro si nullast frangendis reddita finis
corporibus, tamen ex aeterno tempore quaeque
nunc etiam superare necessest corpora rebus,
quae non dum clueant ullo temptata periclo:
at quoniam *fragili natura* praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse *manere*
innumerabilibus plagis vexata per aevom.

Luce clarius est secundum poetam fieri non posse ut primordia fragili natura praedita sint et simul potuerint aeternum tempus manere. Si frangi possent atomi, non mansissent aeternum tempus.

Haec docent falsam esse sententiam Giussani (l. l. p. 13) hoc contendentis „si nullus sit finis frangendis rebus, materia aeterna sit necesse esse."

Dummodo addamus, id quod addere neglexit Giussanus: „secundum Lucretium."

Apparet igitur inde a versu 483 usque ad versum 635 agi de atomorum soliditate; quam ob rem facio cum Briegero, qui putat inter versus 547 et 548 nullam esse lacunam.

I 565—583.

Ex hisce versibus Brieger versus 565—576 secludit servato versu 568 (quem Lachmannus post versum 585 transposuit), versus 577—583 post versum 550 collocat.

Giussanus eosdem versus 577—583 collocat post versum 564.

Woltjer (Mnem. 1896 p. 313—317) ostendit Briegerum in transponendis versibus externa specie similitudinis ductum neglexisse genus et naturam argumentorum.

Idem valet de Giussano.

Supra (ad versum 547) demonstravi in argumentatione, qua Lucretius probat solida esse primordia, contineri argumenta undecim. Quae sic iungenda esse existimo Woltjerum secutus, nisi quod ille argumentationem absolvi putat versu 598:

Prima series (vss. 503—539) continet tria argumenta logicae sive rationalis naturae, quibus probatur atomos esse sine anani, ergo solida.

Secunda series (vss. 540—64) continet duo argumenta, quae pertinent ad τὸ *nunc, adhuc* esse. Priore argumento (vss. 540—550) ex eo, quod res adhuc sunt, concluditur materiam perire non posse; altero argumento (vss. 551—564) ex eo, quod res adhuc sunt, concluditur materiam non usque redigi et frangi posse.

Tertia series (vss. 565—598) continet tria argumenta physica, quibus poeta ex corporea natura et qualitate rerum et atomorum ratiocinatur. (Idem sensisse videtur H. Frericks Quaestiones Lucretianae, Schulprogramm, Oldenburg 1892, cuius libri inspiciendi copia mihi non erat. Cfr. Brieger. Ann. Luc. 1896 p. 145).

Primo argumento (vss. 565—576) demonstratur naturam materiae mollem esse non posse; altero (vss. 577—83) naturam materiae fragilem esse non posse; tertio (584—598) naturam atomorum inmutabilem esse. Quod Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 31) dicit alterum argumentum (577 sqq.) pertinere ad τὸ *adhuc esse* falsum esse apparet ex versu 581 cum 570 comparato.

Quarta series (vss. 599—634) continet tria argumenta, quibus probatur atomos esse minima corpora, quae, quamquam mente et cogitatione partes discernantur, frangi non possint sed solida sint.

I 635.

Ex iis quae supra diximus apparuit inde a versu 483 usque ad versum 635 poetam dicere de soliditate atomorum, quarum naturam dixit esse non mollem, non fragilem, immutabilem. Rectissime igitur poeta doctrinam eorum, qui dicunt materiam rerum esse ignem, ut refutet eo, quod, si ita esset, omnia essent ignea natura quoniam materies immutabili sit natura, soliditate atomorum demonstrata sic pergit versibus 635—637:

Quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo,
magno opere a vera lapsi ratione videntur.

Recte igitur Giussanus improbat Munronem vocabulum

quod est *quapropter* referentem ad *conexus*, *pondera* cet., de quibus sermo est versibus 633 sq.; et recte dicit vocabulum quod est *quapropter* referendum esse ad totam demonstrationem antecedentem. Sed errat cum ait poetam nihil dixisse de atomorum natura, quo appareret atomos neque igneos neque aërios cet. esse posse; quam ob rem lacunam esse putat ante versum 635.

Demonstravimus autem poetam iam disseruisse de natura immutabili (vs. 584 sqq.) non molli atomorum; igneam et aëriam naturam eorum esse non posse iam ipsis verbis dixerat 565—573:

Huc accedit uti, solidissima materiai
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, *aër*, aqua, terra, *vapores*,
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
admixtum quoniam semel est in rebus inane:
at contra si mollia sint primordia rerum,
unde queant validi silices ferrumque creari
non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
principio fundamenti natura carebit.

Giussanus errasse videtur, quia non vidit de soliditate atomorum poetam disseruisse usque ad versum 635.

I. 884.

Codicum lectionem quae est *cum lapidi in lapidem tenemus* non sanam esse nemo non videt. Lachmannus adnotat haec: „Itali et impressi *terimus*. *In* praepositionem sustulit Marullus, recte, ut puto, etsi cur addita sit non intellego." Versu 885 idem mutat cum Marullo *herbis* in *herbas* puncto posito post versum 884.

Munro hunc versum ponit post 885 ceterum nihil mutans, nisi quod scribit *terimus*. Brieger in sua editione

ante versum 884 signum lacunae ponit et hunc cum proximo secludit, ceterum lectionem Lachmanni secutus. Postea in Appendice adnotavit haec: „perspexit Giuss. prioribus vv. de frumento frangendo, quo id fit, quod nos ‚Schrot' vocamus, versu 884 de moliendo dici. tollendae igitur lineolae sunt, quibus hunc versum inclusi, sed aliquid deesse etiam nunc opinor." Sed rectissime Woltjer (Mnem. 1896 p. 321) haec monet: „Id quod Brieger Lachmannum secutus legit nullum hoc loco habet sensum. Nam verba quae sunt *cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem*, etiamsi aliquid ante ea excidisse existimemus, nihil significare possunt nisi ex ipsis lapidibus tritis oportere manare cruorem sive sanguinem, id quod ea condicione tantum verum esset, si lapides animalibus aut hominibus essent nutrimento ita ut ex iis fieret sanguis; hoc autem neque Anaxagoras, neque Epicurus, neque Lucretius potuit contendere, quod recte antiquiores interpretes perspexerunt."

Giussanus legit *in lapidem*, ceterum Lachmanni lectionem secutus. Sed mira res esset, si poeta bis locutus esset de sanguinis signo reperiendo in frumento, quo homines vescuntur; nullam vero mentionem fecisset sanguinis signi reperiendi in pabulo, quo animalia pascuntur. Lucretium, qui aequalitatem amet, hominibus tribuisse „sanguinem et aliquid nostro quae corpore aluntur," animalibus cruorem et lac consentaneum est. Id perspexit Woltjer qui (l. l. p. 319—321) nihil mutare vult in codicum lectione, nisi quod legit *terimus* pro *tenemus* puncto in fine versus 884 sublato.

Obiectum verbi *terimus* dicit esse *herbas*, quod sumendum sit ex *herbis* quod sequitur. Ipse autem addit duram hanc esse constructionem; et confitetur sibi non contigisse ut inveniret aliud exemplum verbi terendi coniuncti cum praepositione *in* et accusativo.

Has ob causas ipsa verba poetae iam inventa esse non credo, quamquam Woltjer viam monstravit. Mihi videtur vocabulum excidisse quod est *pabula* et poetam scripsisse vss. 881—887:

Conveniebat enim fruges quoque saepe, minaci
robore cum saxi franguntur, mittere signum
sanguinis aut aliquid, nostro quae corpore aluntur;
<*pabula*> cum lapidi terimus, manare cruorem
consimili ratione herbis quoque saepe decebat
et laticis dulcis guttas similique sapore
mittere, lanigerae quali sunt ubere lactis.

Pabula cum terimus, sic ait poeta, sanguinem manare ex iis decebat et lactis guttas ea mittere.

I. 921.

Lachmannus in commentario suo (p. 72) scripsit haec: „ab eo primi libri versu qui notatus est numero 785, quem schedae sextae decimae ultimum esse docui ad versum 734, usque ad 1068, qui est primus, ut puto, vicesimae tertiae, sunt carmina CCLXXXII et capitula tria, hoc est versus CCLXXXV, quae sunt paginae versuum vicenum senum undecim uno versu minus, cum rationi debeantur duodecim, quoniam librum secundum in antica schedae pagina incipere ad huius versum 253 videbimus. itaque in codice archetypo unam ex his duodecim paginis nihil inscriptum habuisse conicio, ante versum autem 921 interstitium fuisse, quod librarii nostri neglexerint."

Brieger (Phil. XIV p. 564 sq.) quamquam Lachmanni rationem probat, tamen non vult „ganz willkürlich annehmen, es sei vor 921 im archetyp ein zwischenraum von einer versweite gewesen," quam ob rem inquirere incipit in versum 921, si lacunae vestigium indagare possit.

Attendit ad plurale *obscura* post singulare *quod superest* scriptum; sed recte eum usum Lucretio concedit. Quo concesso sic pergit: „Das aber *dürfte schon mehr in betracht kommen*, dass *quod super est* sonst immer bei Lucrez für sich steht, gewöhnlich im deutschen durch ein adverbium, besonders durch *ferner*, am besten wiederzugeben (vergl. I 50, II 39, 491, 546, IV 595, 1283, V 64, 91, 261, 772, 1241, VI 219, 423, 906, 1000. Stellen wie II 183, V 206 gehören offenbar nicht hieher.) So *liegt denn die vermuthung sehr nahe*, dass Lucrez auch hier das *quod superest* nicht anders gebraucht habe, und nach 921 eine lücke von einem verse anzunehmen sei."

De hac Briegeri coniectura non sine dubitatione prolata facio cum H. Stuerenburgio (De carminis Lucretiani libro primo. Lipsiae 1874. p. 14.) haéc dicente: „Quomodo hoc loco verba *quod superest* Briegero suspiciones movere potuerint, ut versum post v. 921 excidisse coniceret, non intellego." Si enim poeta dicere potuit *quod superest arvi* (5, 206), *aevi quod superest* (3, 905), *nunc id quod superest de motibus expediemus* (2, 183), non intellego cur idem dicere non potuerit: *quod superest cognosce.*

Quamquam *quod superest* hoc solo loco obiectum est, nulla est causa cur damnetur, praesertim eos non probanti qui ea „quae non plus semel vel bis in carminis de rerum natura codicibus leguntur, a Lucretio posse profecta esse negant." (Brieger in praefatione editionis suae pag. XXIV).

Nulla igitur est causa cur versum excidisse statuamus post v. 921. Neque Briegerum secutus est Giussanus, qui ad hunc versum adnotat: „. . . . . il contrasto cercato di *clarius* coll' *obscura* del verso seguente. Il qual contrapposto non è favorevole alla lacuna del Brieger tra 921 e 922."

Quod ad interstitium ante versum 921 attinet, Woltjer

(Neue Jahrb. 119 p. 769 sqq.) ostendit in codice archetypo capitulum ante v. 921 duobus versibus scriptum esse; vidit enim in Quadrato capituli loco interstitium esse duorum versuum; in Oblongo ultimam capituli syllabam adscribi non potuisse. „Woltjer schliesst scharfsinnig daraus, damit sei der von Lachmann vermisste,versus' gefunden." Verba sunt Briegeri ipsius (Ann. 1879 p. 197).

I. 998—1007.

Hisce de versibus magna est inter viros doctos dissensio. Munro putat versibus 958—983 demonstrari *omne* esse infinitum, versibus 984—1007 spatium esse infinitum, versibus 1008—1051 materiam esse infinitam; quam ob rem versus 998—1001, quibus probatur omne esse infinitum, ponit post versum 983. Hoerschelmannus vero (Observationes Lucretianae alterae 1877 p. 21) ostendit Lucretium a versu 958 usque ad 1007 de eo quod omne est et de universo spatio coniunctim disputare, conferri iubens in primo argumento *omne quod est* (958), *summa* (963), *omne* (967); in altero *omne quod est spatium* (969), *omne* (975); in tertio *spatium summai totius omne* (984); in quarto *omne* (1001); denique in conclusione *natura loci spatiumque profundi* (1002). Convenit nunc inter omnes inde a versu 958 usque ad 1007 demonstrari *omne* et *spatium* infinitum esse, neque quisquam est, qui Munronis transpositionem probet, nisi Bailey, qui tamen rationes suarum lectionum non affert.

Hoerschelmannus (l. l. p. 20 sq.) uncis includi iubet quartum argumentum (v. 998—1001), quo idem demonstretur, quod plenius et magis perspicue argumento primo. Locum, quem obtinet illud quartum argumentum, iam indicare putat iniuria ab Lucretiani carminis editore rationem esse habitam schedae, in qua illud argumentum inco-

hatum neque absolutum esset; argumento enim primo et secundo et quarto disseri de eo quod *extra* omne fiat vel sit, tertio vero de eo quod *intra* omne fiat. Cuius sententiam impugnans rectissime Woltjer (Mnem. 1896 p. 322) „aliquid novi" inquit „est, si ad logicum quod dicitur argumentum (primum) accedit argumentum (quartum), quod brevitatis causa physicum dico. Idem demonstrari nemo negabit, sed alio modo demonstratur. Lucretium autem aliis quoque locis eandem sententiam diversi generis argumentis probare et satis notum est et supra apparuit, ubi de atomis erat sermo; ibi quoque physicum argumentum postremum addidit, vs. 577—583, et ibi quoque Brieger hoc argumentum loco movet." Quo dicto demonstrat ex hoc quod extra sit aut ex hoc quod intra sit poetam ordinem argumentorum non constituisse.

Brieger, qui in prima editione Hoerschelmannum secutus v. 998—1001 lineolis incluserat, in secunda editione seclusit v. 1002—1007. In Appendice adnotat haec: „male Susemihlio obsecutus non sum monenti ab his versibus (998—1001) versus 1008 sqq. divellendos non esse." Susemihlius (Phil. XLIV p. 81) habet haec: „Nur wenn auf 1001: omne quidem vero *nil* est quod finiat *extra* unmittelbar 1008: *ipsa* modum porro *sibi* rerum summa parare ne possit etc. folgt, wird dies letztere durch den gegensatz verständlich." Si tamen inter hos duos versus, 1001 et 1008, nihil intercedit nisi conclusio, non video versum 1008 intellegi non posse.

Giussanus contendit Goebelum et Susemihlium secutus versus 1002—1007 conclusionem esse versuum 984—997; et Susemihlium Briegerumque secutus versus 998—1001 introductionem esse ad argumentationem, quam continent versus 1008 sqq. Inde concludit v. 998—1001 transfe-

rendos esse post 1007. Non valde differt mea a Giussaniana sententia; tantum tamen differt ut conclusionem eius non probem, et ita non probem, ut concedam poetam v. 998—1001 post v. 1007 scribere potuisse, non debuisse. Concedo v. 1002—1007 conclusionem esse argumenti tertii, sed non minus esse conclusionem argumenti quarti et secundi et primi. Constat enim quattuor illis argumentis poetam de eo quod est omne et universo spatio coniunctim disputare, et ea infinita esse demonstrare. Conclusio argumenti primi continetur versibus 966 sq.:

usque adeo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.

Conclusio argumenti secundi sunt versus 982 sq.:

fiet uti nusquam possit consistere finis,
effugiumque fugae prolatet copia semper.

Conclusio argumenti tertii deest, quo demonstratur nil esse funditus imum.

Denique quarto sive postremo argumento prolato conclusio totius argumentationis sunt versus 1002—1007, quam conclusionem iure poeta ponere potuit post argumentum quartum; nam si illa res hanc rem finit, tertia illam, quarta tertiam et sic deinceps, nec ullus est finis, sequitur ut fulmina aevi labentia tractu spatium percurrere non possint.

Quod Giussanus adnotat ad v. 1002: „con *spatium profundi* Lucrezio rileva ancora particolarmente l'infinito verso il basso — anche ciò una prova che 1002—1007 fanno seguito a 997", Heinze (Göttingische gelehrte Anzeigen 1898 N. 4.) negat *spatium profundi* significare directionem deorsum; quod quo impugnaret Giussanus nihil videtur habuisse (Riv. 1900 p. 15).

Ibidem Giussanus dicit clausulam argumento tertio deesse

non posse; Lucretium enim constanter (costantemente) clausulas demonstrationibus suis adiungere. Quod tamen iniuria contendere Giussanum demonstrant argumenta Lucretiana, qualia sunt v. 584—598 et v. 628—634.

Venimus nunc ad alterum argumentum, quo Giussanus probare conatur versus de quibus agimus transferendos esse; dicit enim versus 998—1001 introductionem (preparazione) esse ad argumentationem, quae incipit versu 1008. Hoc concedo; et ob eam causam poeta hoc argumentum (998 sqq.) in fine argumentationis posuit. Sed nego hoc vinculum, quod est inter postremum argumentum argumentationis quae praecedit et argumentationem quae sequitur, solvi versibus 1002—1007; si quidem, ut demonstravi, conclusionem addunt argumentationi quae praecedit.

I. 1085 sq.

Munro haec adnotat: „1085 1086 are transposed by Mar. and Junt. followed by all before Lachm.: but Ussing, Tidsskr. for Philol. VI, has rightly seen that a v. is lost before 1085, which comparing 6, 495 I would thus supply Et quae de supero in terram mittuntur ut imbres." Brieger et Bailey Munronem secuti sunt, Giussanus Iuntinam. Attamen credo Lachmannum non sine causa codicum ordinem restituisse versusque sic explicandos esse: Stoici in hac re errantes dicunt non omnia corpora in medium niti, sed terrae tantum et aquae, scilicet mare et amnes, quae secundum eorum stultam opinionem (quasi) terrae globo ita contineantur, ut cum supra terram sint, medium tamen locum expetentes conglobentur undique aequabiliter neque redundent unquam neque effundantur (Cic. de nat. deor. 2, 116).

De *et* explicativo non est quod moneam, neque de *quasi*, quod interdum additur sententiae falsae, veluti 3, 729.

II. DE LIBRO SECUNDO.

II. 105.

Brieger post hunc versum lacunae signum posuit, Giussanus versum seclusit.

Docet poeta corpora prima per inane profundum assiduo motu exerceri, partim magnis intervallis partim brevibus confulta. Primum dicit de iis, quae brevibus intervallis confulciuntur, haec (v. 100—105):

et quaecumque magis condenso conciliatu
exiguis intervallis convecta resultant,
indupedita suis perplexis ipsa figuris,
haec validas saxi radices et fera ferri
corpora constituunt et cetera de genere horum,
paucula quae porro magnum per inane vagantur.

Mutavi Lachmanni interpunctionem versus 104; comma post verbum quod est *constituunt* sustuli, posui in fine versus.

Hisce bis ternis versibus locutus de atomis, quae brevibus intervallis confulciuntur, quae constituunt densa corpora, ut ferrum saxum; deinde tribus versibus proximis poeta agit de iis atomis, quae longe dissiliunt magnis intervallis, quae constituunt res raras ut aëra, lumen solis; denique tribus versibus de atomis, quae solae per inane feruntur neque in conciliis receptae sunt.

Toto loco poeta loquitur de atomis, quae extra mundos in *magno* inani feruntur, quod apparet si conferas v. 96 *inane profundum*, 109 *magnum per inane*, 122 *in magno inani;* atque ex eo, quod rei *simulacrum* esse dicit corpora quae solis in lumine misceri videmus *per inane* (116). Quod Brieger dicit (Neue Jahrb. 1875 p. 629): „weiter unten, 2. 109 und 122 wird gesagt, die atome, conciliis rerum quae

sunt reiecta, trieben magnum per inane ihr wesen. es leuchtet aber ein dasz es solche atome nicht nur auszerhalb der welten, sondern auch, und *vielleicht* vorzugsweise, innerhalb derselben, im luftmeere gibt. folglich bezeichnet an beiden stellen magnum inane keineswegs die auszerweltliche leere," si revera atomi, conciliis rerum quae sunt reiectae, maiore numero in mundis quam extra mundos essent, quod minime credo, quia in mundis longe maior pars sive raras res sive solidas constituunt, extra mundos vero praeter parva glomeramina non nisi singulae atomi versantur; tamen conclusio claudicaret.

In magno igitur inani coeunt atomi exiguis intervallis; ea concilia non ita magna esse, ut tota saxa et moles ferreae per magnum inane ferantur, poeta clare et distinctis verbis monet. Non enim dicit eas atomos constituisse saxa et ferrum, sed *radices* saxi et ferri *corpora* et cetera de genere horum constituere; *radices* autem Munro recte ita interpretatur: „these lay the first foundations or roots of stone."

In magno igitur inani formantur parvula concilia, quae consistunt ex pauculis atomis (*paucula* v. 105 refero ad *haec* sc. corpora prima v. 103). Ea parvula concilia atomorum si accedunt ad nostrum mundum, inserviunt, si dura sunt, duris rebus formandis; si rara sunt, *nobis sufficiunt* (v. 108) aëra, lumen solis cet.

Omnibus igitur consideratis hoc iam apparet id quod traditum legitur sanam sententiam praebere.

Brieger puncto posito post vocem, quae est *paucula*, lacunam esse credit post 105. Sed *cetera de genere horum* (104) minime sunt paucula, sunt omnes res durae atque solidae. Excidisse putat haec: „praedita corporibus mage levibus atque rotundis." Scimus poetam primordia dicere praedita natura, forma, sensu; sed rectene *primordia* dici

possunt *praedita corporibus?* Praeterea vox quae est *cetera* (106) miro modo posita est in fine sententiae, id quod Brieger ipse sensisse videtur, nam in Appendice post *cetera* addit signum interrogationis. Denique fac versum Briegerianum recte inseri posse, tamen contendo eum non esse necessarium; id quod Brieger ipse sensisse videtur; scripsit enim haec (Phil. 24 p. 429): „Bei alle dem fehlt nun aber immer noch der doch auch *kaum* zu entbehrende gegensatz zu dem indupedita etc., 102, und es ist daher wohl anzunehmen, dass hinter 105 etwa folgender vers: praedita corporibus mage levibus atque rutundis ausgefallen ist, *um so mehr* da sich als weitere folge hievon die verderbniss von vagata in vagantur und concita in cetera um so leichter erklären würde." Quibus autem altera ratio non valet, inter quos Brieger ipse numerandus est, qui in sua editione lectionem codicum *vagantur cetera* servat, ii non contendent necessarium esse versum, qualem Brieger excidisse putabat. Poeta hoc loco docet varia esse inter atomos intervalla; quod autem iudicat magis densos conciliatus eo effici quod atomi suis ipsae perplexis figuris impeditae sint, hinc non efficitur ut necesse habuerit docere eas atomos, quae in magnis intervallis dissiliant, suis figuris non impeditas esse. Neque has magis rotundas, neque illas magis hamatas esse hoc loco dicit, sed postea ita esse demonstrabit.

Giussanus putat versum 105 antiquiorem formam exhibere eius sententiae, quam continet versus 109; et *paucula* significare rara, dispersa (isolati), conferri iubens IV 69. Ibi sermo est de simulacris, quae constant innumerabilibus atomis, quae igitur *multae* dici possunt; sed quia tenues rerum imagines sunt, recte ab rebus recedere dici possunt citius, quanto minus impediri *pauca* queant. Eodem modo

si una longa acies est instructa multorum militum, recte dicere possis eam facile perrumpi, quia singulis locis pauci resistunt; neque eo efficias *paucos* significare dispersos. Giussaniana quoque igitur ratio improbanda est, neque quidquam in codicum lectione desideratur, dummodo versu 104 recte interpungatur.

II. 189.

Brieger hunc versum seclusit. Omnia tamen recte sese habere puto, dummodo recte interpungas v. 184 sqq.:

Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
confirmare tibi, nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare.
Ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
sursus enim versus gignuntur et augmina sumunt:
et sursum nitidae fruges arbustaque crescunt,
pondera, quantum in se est, cum deorsum cuncta ferantur.
nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum
et celeri flamma degustant tigna trabesque,
sponte sua facere id sine vi subigente putandum est.

Post versum 186 Lachmannus et Giussanus punctum cum commate ponunt, Brieger punctum; post 187 Lachmannus et Giussanus punctum, Brieger colon; post 188 Lachmannus et Giussanus non habent interpunctionem, Brieger comma.

Lucretius hoc dicit: falli homines, qui credant flammas sua vi sursum ferri, apparet primum ex frugibus et arboribus, quas eodem modo sursum crescere videmus, quamquam scimus eas sua sponte deorsum ferri sicut omnia pondera. Putandum est igitur non magis flammas sua sponte sursum ferri.

Secundum exemplum poetae est sanguis e nostro corpore missus; tertium trabes, quas respuit aqua. Eodem modo

flamma vi aliena expressa sursum succedere possit necesse est, quamquam pondus est et igitur, quantum in se est, deorsum tendit. Videmus certe stellas in diversas partes meare, videmus stellas deorsum cadere; sol dissipat lumen omnis in partes, etiam deorsum; fulmina nunc hinc, nunc illinc concursant et saepe quoque cadunt in terras.

Primum igitur poeta tribus exemplis probat res, quae sua sponte deorsum cadant, vi aliena sursum ferri; fieri igitur posse ut et flamma vi aliena sursum feratur. Deinde demonstrat flammam re vera non solum sursum sed in omnes partes ferri posse.

Lambinus iam vidit versus 189 sq. solutionem continere; sic enim interpretatur: „solutio est. respondet autem hoc modo: quid tum postea, si flammae sursum moventur? Etiam fruges et arbores sursum crescunt, cum tamen omnia corpora, quantum in ipsis est, deorsum moveantur."

Eodem modo Creech hos versus interpretatur, qui verba Fabri laudat hoc dicentis: „Est tacita ἀνθυποφορά. sursum enim, inquies, fertur ignis, ad quam versu proximo respondet, sed fruges et arbores in altum feruntur propter vim subigentem" etc.

Lachmannus primus videtur alio modo hos versus interpretatus esse propterea, nisi fallor, quod ei *et* pro *etiam*, quotiens in carmine Lucretiano invenitur, suspectum videbatur corruptelae (Cfr. eius Commentar. p. 152 et Polle Phil. XXVI p. 294 sq.)

Hoc addo recte Woltjerum monere Lucretium hoc loco non redarguere aliquam doctrinam philosophorum, sed opinionem vulgarem (Mnem. 1896 p. 325).

II. 453

a Munrone et Lambino iniuria interpolatori tributum

esse docet Brieger (Ann. Luc. 1873 p. 1113). Goebel autem (Observ. Lucret. p. 45) *glomeramina* num appellari possint singula quaeque papaveris grana valde dubitat. Non enim quodvis globosum, sed id quod glomeratum sit, si analogiam spectemus, glomeramen dici licere. Hanc ob causam Goebel 453 traiecit post 454, quem Giussanus secutus est. Brieger transponit 454 post 455. Haud tamen scio an Goebel erraverit. Nam quamvis verum sit glomeramen proprie significare id quod glomeratum sit, inde non efficitur poetam voce ita quoque uti non potuisse, ut globosum quid significaret. Neque video cur poeta, qui lunam dicit *globum pilai* (5, 720), mox *glomeramen atque pilam* (5, 726), grana papaveris glomeramina dicere non potuerit.

Praeterea non video quomodo recte explicari possit versus 454 post 452 locatus. Giussanus quidem putat glomeramen significare ὄγκον, qua voce Epicurum arbitratur indicare talem atomorum congeriem, quae minimam partem rerum efficiat, quam nunc physici moleculam dicere solent (Giuss. I p. 81 sq.). Brieger tamen docet (Ann. Luc. 1897 p. 162) Giussanianam explicationem falsam esse. Praeterea si congeries atomorum levis et rotunda est, inde non efficitur singulas quoque atomos levis et rotundas esse. Neque igitur Giussaniana explicatione accepta versus 454 recte positus esset post 452.

Quod Brieger 454 et 455 locum mutare iussit, non improbarem, si codices hunc ordinem exhiberent. Sed coniecturam probare non possum, quia ordo codicum non offendit.

II. 456—463.

Hos versus Brieger et Giussanus auctore Hoerschelmanno transponunt post 477.

Non recte tamen ut mihi videtur. Poeta enim

1m. dicit (v. 444—450) res duras magis hamatis atomis compactas teneri;

2m. (451—455) res liquidas magis esse e levibus atque rotundis atomis;

3m. (456—463) omnia quae puncto tempore diffugiant tam ex levibus atque rotundis quam ex acutis elementis esse.

Hae tres leges valent de omnibus rebus, quae durae sunt, quae liquidae sunt, quae puncto temporis diffugiunt; valent igitur de tribus, quae exstant, rerum generibus.

„Sed" inquit poeta „est *pars* rerum liquidarum, quae non ex eis solis atomis constat, quibus res liquidae ceterae; sed quibus mixta sunt aspera elementa."

Suo iure Lucretius primum leges generales, deinde legem specialem illustrasse videtur; quam ob rem versus loco movendos esse non censeo.

Nihil adderem, nisi Giussanus (Riv. 1900 p. 224) argumentum transponendi inde ductum adderet, quod post 461 Briegero auctore versum excidisse putat huiusmodi: „ventis differri rapidis nostrisque veneno"; hoc enim addito versus 461—463 continere clausulam generalem, quam scribere non potuerit poeta nisi antecessissent versus 464—477.

Lacunam tamen esse post 461 non credo. In codicibus versus 456—63 sic scripti leguntur:

omnia postremo quae puncto tempore cernis
diffugere, ut fumum nebulas flammasque, necessest,
si minus omnia sunt e levibus atque rutundis,
at non esse tamen perplexis indupedita,
pungere uti possint corpus penetrareque saxa,
nec tamen haerere inter se quodcumque videmus
sensibus sedatum, facile ut cognoscere possis
non e perplexis sed acutis esse elementis.

Recte monet Giussanus in commentariis suis coniectura Mureti, qui versu 458 legit *omnibu* pro eo quod in codicibus est *omnia*, quem secuti sunt Lachmannus Bernaysius Munro, opus non esse; illud *omnia* enim significare *in tutto*.

Quod ad v. 460 attinet, quem Brieger et Giussanus intactum relinquunt, facio cum Lachmanno, qui habet haec: „Hoc mirum est de fumo nebulis flammisque dici, quibus magis consentaneum est *Pungere uti possint corpus penetrareque* SESE scilicet se penetrare in corpus" nisi quod scribere malim *penetrareque* RARA, scilicet penetrare caulas corporis. Cfr. IV 730: corporis haec quoniam penetrant per rara.

Corruptum autem esse v. 462 nemo non vidit excepto Munrone, cuius interpretationem tamen nemo amplectitur. Ad hunc versum Lachmannus adnotat haec: „In his primum Itali fecerunt *esse datum*, tum Marullus *quod quisque videmus*, postremo Faber *sentibus;* in quibus nihil sani est. unus Creechius recte vidit ‚debuisse Lucretium affirmare fluida ista pungentia et penetrantia acuta semina non minus quam levia et rotunda continere'. Scilicet eadem illa hic significantur, *Pungere quae possunt corpus Nec tamen haerere inter se.* hoc intellecto (debuit autem hoc unus quisque intellegere) in aliquot litteris prave scriptis mora nulla esse potest, sed verba ipsa sententiam secuntur, hoc modo, *quod cumque* VENENUMST *Sensibu'*, *sed* RARUM."

Bernaysius legit *quod cumque videmus* VENTIS *esse datum.* Brieger, quem Giussanus secutus est, dicit „posse excidisse *quod cumque videmus* <*ventis differri rapidis nostrisque veneno*> *sensibus esse datum*; de hoc *datum* tamen addubitans."

Nihil mutandum esse arbitror nisi illud *sedatum*, quod sine dubio corruptum est. Conicio poetam scripsisse:

pungere uti possint corpus penetrareque rara,
nec tamen haerere inter se quod cumque videmus

sensibu' *seductum*, facile ut cognoscere possis
non e perplexis sed acutis esse elementis.

Sensibus videre pro simplici *videre* legitur etiam IV 466, quem locum iure affert A. Kraetsch. (De abundanti dicendi genere Luc. p. 62). [1])

Lucretius hoc dicit: „earum rerum, quae nec solidae nec liquidae sunt, atomi partim sunt leves ac rotundae, partim certe non hamatae ac perplexae; nam possunt nostrum corpus pungere et penetrare per caulas corporis, id quod non cadit in res solidas; nec tamen haerent inter se, nam oculis videmus eas res non solidas sed seductas, solutas esse. Atomi igitur, quae pungunt neque cohaerent, acutae sunt."

Quod versu 456 poeta dixerat *puncto tempore diffugere*, nunc uno verbo *seductum* reddit, quod durato ac spisso (444) contrarium est.

Seducere dividere significat ex. gr. hisce locis: Ovid. Heroid. 19, 142; Metam. 13, 611.

Si poeta hoc loco *seductum* scripsit, verbum seducendi ut apud Vergilium (Aen. 4, 385), ita apud Lucretium semel tantum legitur.

Haec iam scripseram, cum vidi Pollium (Phil. 26 p. 317) coniecisse: „quodcumque videmus sensibu' *dilatum*, was wir mit unsern augen auseinandergehen, zerrinnen sehen, im gegensatz zu haerere inter se und in übereinstimmung mit quae puncto tempore cernis diffugere." Giussanum quoque haec coniectura fugisse videtur, qui aliorum coniecturis improbatis haec adnotat in comm. ad v. 461: „Ma non è nostro ufficio rattoppare in qualche modo dove ci son lacune; e qui la lacuna risulta chiara da ciò, che (checchè si annidi in *sensibus sedatum*) deve essere espresso

[1]) Non igitur causa erat cur Brieger (Neue Jahrb. 1875 p. 620) Hoerschelmanni *sensu* et Polli *sensibus* (videre) diceret „müszig, störend, ja unerträglich."

anche l'altro termine: il *diffugere* — per quanto torni oziosa questa ridefinizione," neque Polli coniecturae mentionem facit, qui pro illo *sedatum* restituere id, quod Giussanus desiderari dicit, conatus est.

Eandem sententiam praebet *seductum*, quod allitteratione servata levissima mutatione restitutum est.

II 478.

Ante hunc versum Brieger plura excidisse putat, id quod illud *rursum* v. 481 declaret; docuisse hic poetam non quantalibet magnitudine atomos esse posse (proleg. p. 45; cfr. ann. Lucr. 1879 p. 202). Giussanus ei assentitur et addit haec (II p. 212): „Lucrezio dice chiaramente 498 sg., che ha data la prova del limite di grandezza degli atomi. Questa prova, che noi non troviamo, stava appunto prima di questi versi." Attamen hoc monendum est nullo modo v. 499 referri posse ad ea, quae post 477 Lucretius scripsisse putatur. Nam ubi poeta verbis, quale est *docui*, addit vocem *supra*, illa formula semper referenda est ad ea, quae pluribus versibus interpositis dicta sunt.

Supra docui scriptum legitur his locis: I 543 (ref. ad. 149—264), VI 271 (ref. ad 206—210), 1094 (ref. ad 771 sqq.).

Supra diximus I 734 (ref. ad 635 sqq.) et 846 (ref. ad 635 sqq.).

Supra ostendimus I 429 (ref. ad 335 sqq.), 531 (ref. ad 221—4), IV 672 (ref. ad libros II et III).

Sic II 499 *supra* referendum esse arbitror ad librum primum. Epicurus enim in epistula sua ad Herodotum § 56 duas rationes refert quare non sit ut credere possis semina esse quantalibet magnitudine. Dicit haec: *πᾶν δὲ μέγεθος ὑπάρχειν οὔτε χρήσιμόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν ποιοτήτων*

διαφοράς, qua de re Lucretius agit versibus qui sequuntur (2, 500—521), ἀφῖχθαί τε ἅμ' ἔδει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὰς ἀτόμους, quod non posse probari docuit Lucretius primo libro v. 265—328, quibus demonstravit corporibus *caecis* naturam res gerere (328). Cfr. etiam 2, 312 sqq.

Quod ad vocem *rursum* attinet, significat hoc loco *contra, e contrario;* quae significatio eiusdem vocis legitur 3, 121; 1, 660; adde 1, 657, si verum vidit Winckelmann, qui pro eo, quod in codicibus corruptum legitur *muse*, scribi iussit *rursum*, quod Brieger et Giussanus receperunt.

Non igitur esse credo cur aliquid excidisse putemus.

II 500.

Giussanus adnotat haec (II p. 216): „Manca l'enunciazione del nuovo argomento, ed è evidente la lacuna che il Brieger mette avanti 500. Chi legge nelle edizioni di Lachm. Bern. Munr. riceve l'impressione — falsa — che si tratti di esempi per l'argomentazione precedente."

Si autem putat vocem *iam* nude positam ita usurpari a Lucretio, ut exemplum subiungat argumentationi, fallitur. Poeta, si ita usurpat hanc vocem, addere solet *quo de genere* (II 430) aut *in quo genere* (II 447, IV 185) aut *ut* (II 440). Hoc loco usurpavit ita, ut argumentum argumento iungeret. Neque causa est cur offendamus quod hac voce semel sic usus sit. Hic enim vocis *iam* usus non modo a vocis vi ac notione, quae eadem fere est ac vocis *nunc*, alienus non est, sed saepius apud alios quoque scriptores haec vox ita usurpatur, ut idem significet quod *nunc*, *deinde*, *praeterea*.

II 655—659, 680.

Munro hos versus transposuit post 651. Adnotat haec: „652—654 I have transferred hither (sc. ante v. 660): the

itaque of 661 manifestly refers to them; so that if they are to keep their place, then (what comes to much the same thing) 655—659 + 680 must be enclosed in brackets as a subsequent marginal addition of the poet's."

Brieger et Bailey eum secuti sunt; Giussanus autem (in Commentar. et in Riv. 1900 p. 27) ostendit versus 655 sqq. non recte poni post 651, quocum non cohaereant, sed iustam cohaerentiam esse, si versus 655 sqq. sequantur versum 654. Hoc tamen Munroni concedit 655 sqq. non cohaerere cum versu 660; quam ob rem 655 sqq. lineolis seclusit.

Id quod traditum legitur non esse mutandum, sed sanam sententiam praebere arbitror. [1]) Quia autem Giussanus cohaerentiam cum versibus qui antecedunt ostendit, satis habebo cohaerentiam cum versibus proximis ostendere.

Lambinus ad v. 660 adnotat haec: „Post digressionem de matre Deorum, redit ad disputationem institutam, in qua ostendit nullam rem esse, quae ex uno genere principiorum constet, quod nunc exemplis multis collectis docet," quam interpretationem nuper amplexus est Theobald Edelbluth in disputatione sua De coniunctionum usu Luc. quaest. selectae, Münster 1895. Brieger autem (Ann. Luc. 1900 p. 37) contendit vim ac notionem (Natur) coniunctionis quae est *itaque* huic interpretationi repugnare. Quod num recte contendat videamus.

Nota res est, ut omnes scriptores latinos ita Lucretium, cum post digressionem ad disputationem institutam redit, usurpare vocem *igitur*. Exempli gratia affero III 323:

Haec igitur natura tenetur corpore ab omni

ubi Heinze adnotat: „*haec igitur natura* schliesst nicht unmittelbar an die letzten Verse des vorausgehenden Stückes an,

---

[1]) Cum omnibus editoribus sequor Lachmannum 680 post 659 collocantem.

wo von *natura* in ganz anderem Sinne die Rede war, sondern nimmt das *haec natura* von v. 231 wieder auf, so dass es auch ohne bemerkbare Lücke unmittelbar auf v. 230 folgen könnte."

Lucretius idem ut significet, usurpat etiam vocem, quae est *ergo*. Ad V 1136 Munro adnotat haec: „*Ergo reg. occ.*: because they had attained supreme power, and therefore had attracted the lightning of envy and been dashed to the earth." Illa voce, quae est *ergo*, poeta post digressionem versuum 1127—1135 redit ad ea quae v. 1123—1126+1131 sq. dicta sunt. [1]) Idem dicit Giussanus: „*Ergo* 'or dunque', più energico d'un *igitur*, perchè s'attacca a 1123—1126, saltando sopra agli ultimi versi precedenti 1127 sgg."

Praeter vocabula, quae sunt *igitur* et *ergo* Lucretius usurpat *itaque*, veluti III 106 „*saepe itaque*, in promptu corpus quod cernitur, aegret"; ubi Heinze adnotat: „L. kehrt nach Erwähnung der gegnerischen Ansicht zu seiner eigenen eingangs aufgestellten These zurück, um sie aus den φαινόμενα zu beweisen: daher *itaque*, wie so häufig nach Parenthesen u. ä., z. B. II 660, das Wiedereinlenken in den Hauptgang der Darstellung bezeichnend."

Sive igitur putes verbis *saepe itaque* (660) Lucretium post paucos versus redire ad v. 654, similes loci erunt III 106 (saepe itaque) et V 1136 (ergo); sive cum Lambino faciens putes poetam post longam de matre deorum digressionem redire ad v. 559, similis locus erit III 323 (igitur); neque causa est cur versus transponantur aut secludantur.

II. 817—25.

Susemihlius (Phil. 25 p. 69—71) hos versus transponendos

---

[1]) Cum editoribus sequor Munronem 1131 sq. post 1126 collocantem.

esse censuit aut post 787 aut post 794. Brieger hoc probavit (Phil. 25 p. 70, 72) atque lacunas esse statuit ante 789 et 817 et 819. Hoerschelmannus (Observation. critic. in Luc. lib. alter. p. 7—10) traiectionem probavit, sed ostendit Briegerum iniuria illas tres lacunas statuisse. Brieger huic concessit (Neue Jahrbücher 1875 p. 610—12) de lacunis ante 789 et 819; in sua editione versus 817—25 post 794 transposuit lacunae signo non ante 817 sed ante 787 posito. Et hic lacunae signum iniuria positum esse Giussanus et Housmannus luce clarius ostendisse mihi videntur. (vide p. 26).

Traiectionem impugnat Giussanus (II p. 248 sq., 253), sed ita ut neque quid Brieger sentiat diligenter exponat, neque, quamvis ceteram expositionem laudem, versus 817 sqq. recte explicare mihi videatur.

Inde a versu 810 Lucretius ratiocinatur hoc modo: omnis coloris perceptio eo efficitur quod pupula, cum alium colorem videmus, aliam plagam excipit. Atqui non refert quo colore praedita sint quae tangunt sed quali *figura*. Ergo atomis non opus est colore, sed variis *formis* variantes tactus efficiunt. Postquam igitur poeta ostendit *rationem* nos docere formis et figuris atomorum colores gigni, praeterea (817) idem demonstrat per „reductionem ad absurdum," quae dicitur, ostendens, nisi certis formamentis atomorum certos colores gigni sumas, natura rerum te redargui.

Hoc enim dicit: „fac id, quod dixi, non verum esse; fac igitur non ex certis figuris atomos certum colorem gignere et omnes formas, quas atomi inter se coniunctae efficiunt, in superficie, quovis colore praedita, esse posse, quomodo explicas res unicolores existere?"

Secundum Lucretii rationem facile explicatur; docuit enim paulo ante (707 sqq.) omnia seminibus certis creata

conservare genus crescentia; sic fiunt corvi nigri, albi cycni. Sed „secundum tuam rationem mira res esset, si quando quid nasceretur ex innumerabilibus atomis, quae omnibus coloribus indui possent, quod constaret ex atomis forte fortuna omnibus eodem colore tinctis. Atqui multa saecla ferarum uno colore tincta sunt. Apparet igitur tuam rationem esse absurdam."

Primum igitur poeta affert argumentum ex ratione petitum, quo probat colorem effici tactu, ergo forma; unde concludit coloribus atomis *non opus esse* (810—16). Deinde ostendit contrariam rationem absurdam esse, suaque sola ratione naturam rerum explicari (817—25). Denique demonstrat si glomeramina distrahantur, evanescere paulatim colores nos *cernere* posse, quod Epicureo firmissimum est argumentum.

Id, quod primo fieri *posse* videbatur, praeterea fit veri simile, denique certum.

Est ordo argumentorum, quo meliorem expectari non licet.

Quomodo hoc loco poeta usurpat particulam *quoniam*, ut proferat adversariorum, quam refutaturus est, sententiam, eodem modo iam usurpaverat fere viginti quinque versibus ante (790) et libri primi versu 581 (cfr. Giussan. II p. 247). Priore loco Brieger, qui de *quoniam* particula vim hypotheticam derogat, interpretatur „da nun, wie bewiesen" (Neue Jahrb. 1875 p. 611); sed errat, nam Lucretius nusquam demonstrat nec demonstrare potest ex *albis atomis* creari, quae non albae sint; sic enim (ex albis *atomis*) Brieger ipse locum interpretatur (Neue Jahrb. 1875 p. 612). Idem plane neglexit 1, 581, ubi eodem modo atque eo loco de quo agimus particula *quoniam* utitur poeta, ut demonstret adversariorum sententiam rerum natura redargui et ad absurdum ducere:

at quoniam fragili natura praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse manere
innumerabilibus plagis vexata per aevom.

Si igitur *quoniam* hanc vim habere potest, eo loco de quo agimus habere debet, nisi forte aut Lucretium proximo versu negare putes quod antecedente docuit (certis formis certos colores edi; — certis figuris non est certa natura coloris); aut isdem vocabulis (figura, forma; — figura, formamentum) ita diversas res significare, ut potius sententiam suam celare quam explicare videatur.

Nam ne poeta parum sibi conveniens videatur, interpretantur recte quidem interpretes *formas* versu 816 ita, ut adlegent versus 757—62:

Praeterea si nulla coloris principiis est
reddita natura et variis sunt praedita formis,
e quibus omne genus gignunt variantque colores
propterea, magni quod refert semina quaeque
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque . . . .

ex quibus apparet formas hoc loco non dici de singulis atomis sed de coetu et glomeramine atomorum; sed *figuras* (817) et *formamenta* (819) ita interpretantur, quasi essent figurae singularum atomorum.

Quod et obscure a poeta dictum foret, neque convenire videtur vocabulo quod est *formamentum*, quod, si quid video, dicitur de tali forma, quae aliquo modo, veluti iungendis rebus (atomis) efficitur; id quod non cadit in singularum atomorum, sed in glomeraminis formam.

Minime igitur ordinem argumentorum turbatum puto, sed ea, quae apte poeta exposuerat, interpretes interpretando evertisse.

II 923

Lambinus cum in margine libri impressi alicuius adscriptum repperisset versiculum hunc: „per Veneris res, extra homines, armenta, ferasque" nescio quomodo haec insulsa verba desiderari putans in textum recepit versu 923 ut inepte supposito minimeque Lucretiano sublato. De illo versiculo merito nullam mentionem fecit Lachmannus; hunc tamen ab eo loco, quo scriptus legitur, alienum iudicavit, quod iudicium editores approbaverunt, [1]) quamquam de loco ubi inserendus sit dissentiunt. Lachmann et Giussanus 923 ponunt post 915, Bernays Munro Brieger Bailey post 914. Neque illa dissensio mira est, nam versum 923 si post 914 posueris, nexum versuum laxari recte animadvertit Giussanus (II p. 266); idemque concedit post 915 quoque melius abesse. Idem perspexerat Susemihl (Phil. 25 p. 79). Ego versum non transponendum arbitror, sed accipiendam esse correctionem, quam praebet Quadratus, cuius correctores plura bona et in his exquisitissima non pauca praebuerunt (Lachm. p. 11). Corrector autem Quadrati pro eo quod codices exhibent *sicitidemquae* scripsit *sicuti denique*. Hac correctione, nisi forte scribendum est *sicut denique* (cfr. Lachm. p. 106), accepta nihil desiderandum puto. Lucretius inde a versu 914 refutat opinionem eorum, qui putant atomos sensum habere qualem animalia. Primum iis obicit atomos, si animalia sint, mortales fore (914—8). Deinde docet coetum atomorum animalibus similium unam rem gignere conveniendo non posse (919—22). Tertium autem argumentum hanc ob causam male intellectum est, quod paucis verbis conceptum est, uno scilicet versiculo 923.

---

1) Bockemueller versum suo loco servat, sed ita explicat, ut neminem eum secutum esse minime mirer.

Attamen puto id, quod poeta velit, minime obscurum esse. Denique, ita docet poeta, atomi, quae in nostro corpore exstant, si sensum haberent, omnes idem sentire debebant quod nos; id quod et ultro nemo non videt absurdum esse et ex argumento, quod praecedit, apparet; nam ut coetus animalium unam rem constituere non potest, sic incredibile est animalia undecumque forte fortuna in unum locum convenientia idem sentire, id quod tamen necesse esse dicit poeta, si nostrum sensum a sensu atomorum originem ducat. Subiectum igitur, quod grammatici vocant, verbi *sentire* sunt *primordia* non minus quam praedicatorum quae praecedunt inde a versu 916. Concedo poetam brevius quam solet hoc postremum argumentum concepisse, nec tamen moveor ut tollere audeam. Hoc addo: post versum 923, si nostra interpretatio iusta est, rectissime sequi versum 924: „quod si forte *suum* dimittunt corpore *sensum* atque alium capiunt, quid opus fuit adtribui id quod detrahitur?"

II. 1013 sqq.

Sunt versus ab editoribus male mulcati. Eiecti sunt 1015 sq. a Lachmanno Bernaysio Munrone Baileio; 1020 a Lachmanno Bernaysio Munrone Briegero Giussano Baileio; sed hos versus vindicavit Woltjer (Mnem. 1897 p. 313—7).

Seclusi sunt 1013—1104 a Lachmanno et Bernaysio, quos versus Goebel (Quaest. Luc. Crit., Salisburgi 1857 p. 17) et Giussanus (II p. 280) defendunt, nisi quod 1013—22 secludendos esse existimant; quos Brieger secutus est.

Giussanus secludendi has affert causas (II p. 279): primam (quam Brieger protulit in Neue Jahrb. 1875 p. 623), quod versibus 1013—22 locus esset post 1009, non post 1012; alteram, quod non sit cur duplex illa series afferatur versibus 1015 sq.; tertiam, quod versus 1017 parum

quadret cum exemplo duobus antecedentibus versibus allato.

Alteram autem et tertiam causam refutavit Woltjer (l. l. p. 315), qui versus 1015—18 ita explicat, ut significent hoc: in illa duplici verborum serie multo maior pars litterarum communis est; decem enim litterae communes sunt; duae tantum in altera serie, tres in altera non communes sunt.

Restat prima causa. Poeta dicit hoc: „Materiae corpora morte non conficiuntur, sed coetus dissipatur. Deinde alius coetus, i. e. alia res, existit positura atomorum mutata, ut noscas *referre cum quibus et quali positura atomi contineantur* (1009) neve putes atomis esse qualitates, quas in rebus cernimus. Quin etiam 1013 sq.:

Quin etiam *refert* nostris in versibus ipsis
cum quibus et quali sint ordine quaeque locata."

Videmus versus 1013 sq. spectare ad id, quod usque ad 1010 tractatum est; sed non videmus cur poeta inter 1009 et 1013 addere non potuerit in eadem sententia conclusionem eorum, quae praecedunt. Ut libro primo conclusione, quae versibus 1002—7 continetur, vinculum, quod est inter versus qui praecedunt et qui sequuntur, non rumpi nobis videtur (vide p. 72), sic hoc loco omnia recte credimus procedere.

III. DE LIBRO TERTIO.

III. 362.

Hic versus difficillimus est, atque unus ex iis, qui nondum recte explicati esse mihi videntur. Lambinus, quem Bernaysius secutus est, facillimum ad difficultatem non dico solvendam sed tollendam iter ingressus est versumque induxit.

Difficultas in hac quaestione versatur, quidnam sit obiectum verborum trahendi et detrudendi. Raumeri sententiam

(Die Metapher bei Luc. p. 61 sq.), qui vult obiectum esse „*fulgida*, sc. primordia lucis" iure refutavit Giussanus (III p. 45). Idem ostendit Wakefieldium errare, qui putabat *animum* esse obiectum; quem tamen, quamquam dubitanter, secuti erant Munro sic vertens: „draws on and forces (? the soul)" et Woltjer (Luc. philos. cum fontibus comparata p. 68), qui haec habet: „Haec (Wakefieldi) interpretatio recta nobis videtur, etsi durum est e praecedentibus vocem animum ut obiectum verbi *trahere* supplere, sed nullum offertur aliud remedium." Polle (Phil. 26 p. 330) auctore Goebelio (Obss. p. 33) putat obiectum esse *nos*. Vertit sic: „der gesichtssinn (genauer: unsere empfindung während des sehens) weist uns unausweichlich an die augen selbst." Sed si durum est e praecedentibus supplere *animum*, durius certe est, si, quod in praecedentibus non legitur, coniciendo quaerere debemus. Apud Giussanum obiectum iam obscurius est; adnotat enim: „Per me l' ogg. è, *vagamente*, noi, la nostra coscienza, il nostro giudizio." Apud Heinzium obiectum iam nusquam apparet, qui Pollii interpretationem probat laudatque, sed ita ut obiectum *uns* omittat et addat: „wobei dem Dichter ein bestimmtes Object zu *trahit* ebensowenig vorschwebt wie 2, 869 *ipsa manu ducunt et credere cogunt*, und an unzähligen anderen Stellen." At versu laudato explicatio Heinziana minime defenditur; nam *manu duci* et *credere* non nisi de homine dici possunt; atqui praecedit *videmus*; obiectum igitur non coniciendo quaerendum est, sed tam praesto, ut nemini dubium esse possit. Brieger tandem putat obiectum verborum quae sunt *trahit* et *detrudit* excidisse et ponit lacunae signum post v. 362.

Cum opiniones virorum doctorum tam sint diversae tamque parum ad quaestionem solvendam sufficiant, hanc denuo solvere conari minime ineptum erit.

Quid igitur est obiectum versu 362? Cum lego v. 359 sqq.:

Dicere porro *oculos* nullam rem cernere posse,
sed per *eos* animum ut foribus spectare reclusis,
difficilest contra cum *sensus* dicat *eorum*;
sensus enim trahit

vix crediderim neminem vidisse obiectum trahendi esse *oculos*, et *trahere* hoc loco scriptum esse a poeta pro composito *contrahere*, eodem modo ac 6, 967:

ignis item liquidum facit aes aurumque resolvit,
at coria et carnem trahit et conducit in unum.

Tenendum autem est *oculos* saepius per synecdocham idem significare quod *palpebras*; veluti si dixeris *comprimere oculos*, hoc dixeris *palpebras comprimere*. Hoc loco *contrahere* dicit poeta, quia vi quadam nec sine dolore oculi clauduntur. Hoc igitur Lucretius dicit: „dolor enim contrahit oculos, palpebras, et ad ipsas pupulas detrudit, praesertim cum, ut saepe fit, res fulgidas cernere non possimus, quia oculi splendidiore lumine impediuntur."

Eandem explicationem dedit Lachmannus, sed eo erravit, quod non vidit obiectum esse *oculos* (eorum 261), sed putavit esse *lumina* (v. 364), quam ob rem sine necessitate versum 362 ante 364 transposuit.

III. 526—47

A Giussano transponuntur post 669, quod neque cum praecedentibus neque cum proximis cohaereant. Videamus igitur quomodo argumenta quibus Lucretius probare conatur animum mortalem esse inter sese cohaereant.

Versu 417 dicit se explicaturum *nativos* animantibus et *mortales* esse animos animasque. *Principio* de mortalitate agit 425—669; *praeterea* de eo quod animi nascuntur 670—783; *denique* totam argumentationem paucis comprehendit 784—829.

Loci de mortalitate capite primo (425—547) demonstratur animi *naturam* mortalem esse; argumenta ducuntur:

principio ex mobilitate animi 425—444;

praeterea ex mutabilitate animi 445—525;

denique ex dividua animi natura 526—47.

Prima et ultima paragraphi, quibus de mobili et dividua animi natura agitur, constant ex singulis argumentis. Mutabilem vero esse animum demonstrat Lucretius serie argumentorum: primum docet animum crescere et mutari una cum corpore (445—58); reliqua pars de animo aegro est; sive enim animus curis aut metu afficitur (459—62), sive in eum penetrant contagia morbi corporis (463—71), sive animus ipse morbo conturbatur (476—509), sive denique aeger sanatur, mortalia signa mittit, quia suis mutatus finibus exit (510—25).

Apparet locum de dividua animi natura recte scriptum esse in capite primo, quo agitur de animi mortali natura, et rectissime in capitis primi fine; quae enim certissima ei videntur argumenta, in extrema argumentatione Lucretius ponere solet. Idem, quod in extremo capite primo, fecit in totius argumentationis fine; primo enim capite, ut diximus, mortalitatem docet, argumentum ducens ex animi natura; altero ex eo, quod animus sine corpore esse non possit (548—79), cui capiti addendos esse postea demonstrabo versus 615—33; tertio denique ex eo, quod anima iam divisa sit, cum ex corpore exeat. Non dico hoc postremum argumentum nobis esse firmissimum; unusquisque enim videt Epicureum nunc subito de anima agere, minimeque, quod de anima doceat, etiam de animo probare. Sed hoc dico Lucretio id firmissimum esse, quod capite tertio docet. Atque huius capitis postremum argumentum, quo dicit nos interdum *cernere* (660) posse, ut utraque pars

corporis occisi militis aut serpentis vivat, Epicureo plurimum valet, neque Brieger hoc postremum argumentum (634—69) secludere debebat nullam, ut videtur, aliam ob causam, nisi quod „ii duo loci, qui sunt 624—33 et 670—78 ab eodem versu incipientes ita alter alterum excipere debeant ut 2, 478 sqq. et 522 sqq." (prol. p. 54).

Giussanum iam diximus versus 526 sqq. posuisse in tertio capite; at eodem argumento in eodem capite iam usus est poeta versibus 607—14. Inepti vero est unam et eandem rem ut demonstret, eodem argumento bis uti; quod tamen ut poeta fecisse videatur, Giussanus effecit.

Si vero suo loco versus non movemus, omnia recte se habent; bis eodem argumento utitur poeta; sed priore loco ut ostendat animi naturam dividi posse, deinde animum nunquam incolumem ex corpore exire. Attendas quaeso, quam apte et diverso loco diverse poeta eadem de re verba faciat. Priore loco dicit *saepe* (526)hominem paulatim deperdere sensum, et scindi animae *naturam* (531); et recte quidem; nam si *saepe* hoc fit, iam sequitur ut animae natura dividi *possit.* Altero loco dicit *non quemquam* morientem sentire *animam* incolumem foras ire; et recte quidem; nam si *unquam quisquam* sentiret animam incolumem foras ire, anima non *semper*, id quod poeta docere vult, divideretur antequam e corpore exiret.

Ergo versus 526 sqq. recte in primo capite leguntur; in tertium non quadrant.

Quod Giussanus addit: „*ut diximus ante*, che ha più enfasi d'un semplice *ut docui*, par che richiami cosa detta in altra occasione," neque igitur *ut diximus ante* (538) ad 531 sq. tantum referendum esse, sed etiam ad 580 sqq., fallitur. Formula *ut* (*quod, quae, quos*) *diximus ante*, sic usurpata ut ea, ad quae referuntur, parvo intervallo distent, scripta

legitur praeterquam hoc loco (ubi *ante* in codd. omissum est) IV 73 (referend. ad 42—71), IV 742 (ref. ad 726—31), IV 1037 (ref. ad 1031 et 1034), de quo loco ipsius Giussani verba conferas (III p. 240); atque vocabulo quod est *paulo* addito I 794 (ref. ad 783—8), IV 383 (ref. ad 368—78), VI 997 (ref. ad 981—83). Ceteri versus, ubi *diximus ante* scriptum legitur, sunt I 846, IV 643, 882; atque *paulo* addito I 907. *Ostendimus ante* est V 355, VI 774; *ante docui* VI 176; *paulo ostendimus ante* I 429, 531. Versu II 926 codicum lectionem, quae est *fugimus ante*, mutant Brieger et Bailey Purmanno auctore in *vidimus ante*, Giussanus in *diximus ante*. (Cfr. Annal. Luc. 1900 p. 11). Denique conferas ea, quae de voce *supra* diximus p. 82.

III. 798 sq.

Giussanus (Riv. 1900 p. 38) putat huic clausulae locum non esse post 797; post 614 deesse non posse, quam ob rem 798 sq. transponit post 614. Brieger (Append.) nihil mutat, quamquam concedit illud *distractam in corpore toto* minus aptum esse quo nunc loco legitur.

Quod autem Giussanus dicit post 614 clausulam requiri, errat; nam Lucretius saepius talem clausulam addere solet, quae non incipiat ab particula conclusiva, quales sunt *igitur*, *quare* cet., sed ab *quod* (quae) *si* (nisi); quaeque constet ex enuntiato quod condicionale vocamus, in cuius protasi sententia contraria ponitur, quae deinde in apodosi refutatur. Cuius rei pauca afferam exempla:

1, 208—14 docet Lucretius esse in terris primordia rerum et sic concludit:

quod si nulla (primordia) forent, nostro sine quaeque labore
sponte sua multo fieri meliora videres.

1, 329—45 docemur in rebus esse inane. Conclusio ita incipit v. 342:

quae, si non esset inane e. q. s.

Proximo argumento (346—57) discimus res esse raras. Conclusio est:

quod nisi inania sint, qua possent corpora quaeque
transire, haud ulla fieri ratione videres.

Eodem modo 3, 603—14, ubi Lucretius docet animum mortalem esse, concludit sic:

quod si immortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.

Erravit igitur Giussanus clausulam huic loco deesse putans.

Deinde videamus rectene Brieger et Giussanus iudicent versum 799 suo loco minus aptum esse.

Iam vidimus Lucretium primum tres rationes afferre, ex quibus appareat animum mortalem esse: quod animi natura mortalis sit (α); quod animus sine corpore neque esse neque sentire possit (β); quod animus iam in corpore distractus e corpore exeat (γ). Praeterea docet animum nativum esse neque in perfectum corpus inferri, sed una cum corpore crescere (δ) v. 670—783; denique (784—829) omnia, quae probavit, paucis comprehendit, et ordine inverso nunc primo loco eodem argumento, quo antea (615 sqq.) ostendit animum sine corpore esse non posse, demonstrat animum extra totum corpus neque gigni neque durare posse (δ), eodemque argumento utitur ut confirmet animam, ubi corpus intereat, perire; atque addit quomodo pereat, scilicet quia distrahatur in corpore toto; quod quidem argumentis probare iure necesse non habuit poeta, qui totiens iam docuisset animam distrahendo et dissolvendo perire; quod ta-

men ideo addit, ut in memoriam revocet eum locum, ubi pluribus argumentis allatis demonstravit animam numquam nisi distractam corpus relinquere (γ); sive igitur dicit animam perire, sive addit distractam in corpore toto, eodem redit utrumque. Versibus 800—5 dicit absurdum esse putare animum immortalem cum corpore mortali consentire (β). Postremo loco (806—29) demonstrat animi naturam mortalem esse (α). Quo ordine efficit ut 784 sqq. cum antecedentibus et 806—29 cum proximis cohaereant sic ut 830 sq. èt eius loci, quem excipiunt, clausulae vice fungantur, èt initium sint eorum, quae sequuntur.

Hoc iam apparet poetam consulto versus 798 sq. addidisse, neque, ut de transpositione taceam, esse cur illum eos postea improbaturum fuisse putemus.

III. 972—1094.

Giussanus (III p. 142—4) contendit locos qui sunt 931—71 et 1024—52, qui eodem modo idem doceant sc. insatiabilem vitae cupidinem iniustam esse et ridiculam, male seiungi versibus 972—1023, qui nihil fere aliud contineant nisi duas res alibi tractatas; 972—7 enim continere quod 832 sqq., 978—1023 quod prooemio tractatum sit. Deinde ultimam partem libri (1076—94) continere argumenta enumerata potius quam elaborata, partimque alio loco tractata (1080 sq. et 1082—4) neque hanc partem aptam esse quae librum claudat. Neque tamen transpositionibus locum esse putat, sed invenisse se credit duas carminis formas, quibus ultima manus scriptoris desit.

At primum nego 972 sqq. ordinem turbare. Postquam Lucretius ostendit animum mortalem esse, primum (830—930) demonstrat inde effici nullum sensum nec desiderium esse

nobis post mortem, mortemque nihil ad nos esse. Conferas 830 *nil igitur mors est ad nos* cum clausula vers. 926:

multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst.

Quo facto (931—1023) statuere potest, si mors nil ad nos sit, mortem non gemendam esse; nam si vita, inquit, tibi grata erat, ea contentus decedere debes (931—9); sin ingrata tibi elapsa est, mors etiam optanda tibi (940—65); neque enim mors est misera, nec quisquam in Tartara deditur; immo omnia illa tormenta, quae putantur in Tartaro esse, hominis ipsius culpa in vita humana sunt (966—1023).

Denique (1024—94) homines hortatur, ut aequo animo quod evitari non potest subeant. Hoc tibi, inquit versu 1024, interdum dicere possis: iam me meliores, iam optimi viri, ipse Epicurus homo sapiens naturaeque rerum peritissimus obiit. Tu vero dubitabis et indignaberis obire, qui multis curis urgeris, id quod stulti est naturaeque rerum inscii. Denique (1076—94) quae mala cupido vitae nos subigit mortem timere? Nam mors devitari non potest, nec nova procuditur in vita voluptas. Postera aetas incerta est nec demit hilum de tempore mortis aeterno.

Si recte poetae verba reddidi, hoc iam apparet 972—1023 minime molestos esse, nec 1076—94 esse „un gruppetto di argomenti toccati sommariamente", sed argumentorum dilucidam seriem.

Porro nonnulla argumenta iterum a poeta usurpata esse non nego, sed hanc ob causam carmen minime improbandum esse censeo.

Inter argumenta quae poeta affert ut probet mortem non timendam esse et illud est, quo dicit neminem in Tartarum dedi. Hoc ut probet aliis verbis idem fere dicit vv. 972 sqq. quod ante protulerat, ut ostenderet mortem nil ad nos esse. Poterat sane dicere sic: „id quod iam ostendimus

ante", id quod facit interdum, non semper tamen. Saepe enim praefert iteratam explicationem, inprimis cum, ut hoc loco, docet aliquid quod magni est momenti.

Praeterea nunc argumentum iam versibus 832 sqq. tractatum brevius exponit et ita ut appareat iam antea eadem de re dictum esse; et quod addidit versibus 974 sq. de speculo, non credo poetam umquam improbaturum nec reiecturum fuisse.

Deinde sequitur locus de Acherunte hic aptissimus. In prooemio nihil aliud dixerat poeta nisi illud Acherusia templa nusquam apparere; sed hic, cum docet mortem non timendam esse, sentit metum Acheruntis non prius ex hominis corde expelli, quam explicaverit unde illae fabulae originem duxerint. Nam eius qui mortem metuit, si argumentis probas Orcum non esse, menti persuadere possis, animus tamen metum ponere nondum poterit, semperque eius ob oculos versantur imagines inferorum, neque credere potest, quae de Orco tradita sunt, temere ficta esse. Quod sentiens poeta docet has non esse fictas fabulas, sed verum inesse, dummodo recte explicentur.

Nec minus errare Giussanum cum putat versus 1076 sqq. antiquiorem sententiae formam exhibere eoque loco, qui est 931—71, esse „intrecciati e svolti gli argomenti dell' abbozzo 1080—4", iam inde apparet, quod cum versus 1081 et 1084 pulchriores sunt quam 944 sq. et 960, tum argumenta maximi momenti, quae leguntur 1078 sq. et 1085 sqq. alibi non occurrunt.

Equidem arbitror hanc ultimam partem pulcherrimos versus continentem atque argumenta, quae apta sunt etiam ad eos movendos quibus priora persuadere non poterant, aptissime carmen claudere.

Ut paucis igitur quae disputavi comprehendam: ex

versibus 972—1094 effici posse ut carmen Lucretianum imperfectum a poeta relictum esse putemus, Giussanus nobis non persuasit.

DE LIBRO QUARTO.

IV. 67—71

Giussanus secludit; nam „questa" inquit „è un' argomentazione *a priori* di tutt' altra natura di quelle fra cui capita, e che parla di *idem ordo* e *servata figura*, mentre ancora non è il caso di parlarne." (Rivista 1900 p. 177). Recte dicit Brieger (Append.) nimis severe Giussanum hoc iudicavisse. Lucretius docere vult *tenues* figuras (42) *summo de corpore* rerum missas *volitare* per auras (31 sq.) et *formam* gerere rerum de quibus fundantur. Id ut probet dicit nos cernere res multas contexta et condensa corpora mittere, crassas imagines. Quae quoniam fiunt, *tenuis* quoque debet *imago* ab rebus mitti, *summo de corpore* rerum. Rationes addit hasce: Si crassa de rebus mittuntur, sine dubio et *tenuia*. Deinde *in summis rebus* sunt corpora multa minuta, quae iaci possunt, eundemque ordinem, quo fuerint, i. e. formae *figuram* servare. Versus igitur 67—9 rectissime cum antecedentibus cohaerent quos explicant; imago (63) enim explicatur versibus 68 sq.; *summo de corpore rerum* (64) versu 67.

Poeta addit has tenues imagines multo *citius* a rebus solvi et iaci quam illa late diffusa corpora, quae ex alto penitusque proveniunt, et quam illas contextas et condensas membranas; quia tenues imagines pauca tantum corpora sunt, quae minus impediuntur et quae prima sunt fronte locata.

IV. 435

Cum Bockemuellero [1]) Giussanus transponit post 386, quod nec in longa serie exemplorum uni tantum exemplo conclusionem additam esse veri simile sit, nec huic loco apta sit haec „victoriae exclamatio improvisa et singularis." At et explicatio (434) non nisi huic exemplo additur. Ratio autem cur poeta explicationem addiderit, non est obscura. Si enim nudum exemplum poneret, versuum numerus nimis inaequalis esset ceteris exemplis; nihilque aptius erat quod adderetur nisi ratio et causa praesertim cum paucis facile reddi posset; nautae enim cum nihil nisi aquam caelumque videant, solem, simulac caelum reliquerit, in mare occidere dicunt. Quam rationem poeta addit ut videamus causam esse cur errent nautae, neve credas sensus sine causa prorsus errare. Hanc sententiam quomodo Giussanus exclamationem dicere potuerit, non intellego. Mihi certe persuasum est et forma (aequalitate) et re (facili ad explicandum) poetam adductum esse ut et 434 et proximum versum subiungeret. Addo Giussanum ipsum confiteri (Rivista 1900 p. 180) versum eo loco, in quem traiecit, minime desiderari. Cfr. Brieger Append. p. 220.

IV. 511 sq.

Giussanus traicit post 521, quod eos putat clausulam continere totius argumentationis. Quodsi verum esset, tamen ratio non esset sufficiens ad transponendum. Cfr. quae diximus ante ad 1, 205 sqq. (p. 51 sqq.). Sed Giussanus erravit, nam 511 sq. non continent clausulam totius argumentationis sed unius argumenti praecedentis. Ea enim argumenta, quibus sensuum fides impugnatur, non ideo cassa

[1]) Is collocavit 386, 435 inter 425 et 426.

vana frustraque sunt, quod et ratio falsa esset, si sensus falsi essent (520 sq.); nam inde efficeretur eos philosophos, qui et sensibus et rationi fidem abrogant, verum sentire; sed argumenta, quibus sensus impugnantur, propterea vana et frustra sunt, quia „vita ipsa concidat extemplo nisi credere sensibus ausis" (507 sq.); qui vivere vult, sensus sequi debet neque obsequi iis, qui sensibus fidem abrogant; eorum verba cassa sunt, nihil proficiunt ad vitae rationem. Ergo 511 sq. non scripti sunt post 521 sed post 510.

IV. 532.

Corpoream esse vocem sonitumque poeta demonstrat principio ex eo, quod sensum impellunt (524—7), praeterea quod radunt quasdam corporis partes (528—34), denique quod is, qui multa loquitur, amittit de corpore partem (535—41).

Alterum argumentum his versibus continetur (528 sqq.):

praeterea radit vox fauces saepe, facitque
asperiora foras gradiens arteria clamor,
quippe, per angustum turba maiore coorta
ire foras ubi coeperunt primordia vocum.
Scilicet, expleti quoque ianua raditur oris.

Ita interpungendum esse vidit Winckelmannus [1]) (Beiträge zur Kritik des Luc., Salzwedel, 1857 p. 25) quem secuti sunt Brieger, Giussanus, Bailey. Versu 532 codices exhibent *expletis*, quod H. Purmannus (Neue Beiträge zur Kritik des Luc., Naumburg 1849 p. 43) et Lachmannus, quem Bernays et Munro secuti sunt, correxerunt. Brieger (Philol. 32 p. 479 sq.) monuit *coeperunt* (531) idem esse quod *contenderunt*, *conata sunt* collatis versibus 4, 619, 809;

[1]) Sed in fine versus 531 interpungebat ita: *vocum*; Brieger primus vidit gravius distinguendum esse.

6, 432; neque quod indicativum tempus grammatici vocant post *quippe qui* („natürlich, wo = natürlich, indem dann") a Lucretiano sermone alienum esse (1, 617; 3, 430; 4, 434).

Duas autem corporis partes poeta dicit voce ac sonitu saepe radi: fauces (v. 528 –31) et ianuam *quoque* [1]) oris (v. 532). Fauces autem saepe raduntur, ubi voces ac sonitus *turba maiore* per eas foras eunt; ianua oris raditur, ubi per eam foras eunt, cum os *expletum* est i. e. cum flamus.

Si igitur, quod versu 531 dictum est, cogitatione supplemus versu proximo, nihil desideratur; neque causa est cur cum Briegero et Giussano versum post 532 excidisse putemus.

IV. 1039 sq.

Brieger et Giussanus putant hosce versus succedere non posse antecedentibus, quia non reddant rationem eius rei, quae dicta est 1037 sq. Ille transponit 1039 sq. post 1036; qua traiectione damnata Giussanus — et libenter fateor mihi quoque, etiam antequam quae scripsit Giussanus legi, languidos putidosque visos esse 1039 sq. post insignis versus 1030—6 collocatos (cfr. Brieger, Append.; Giussan. Rivista 1900 p. 186 sq.) — lacunae signum ponit post 1038.

Eorum errorem ex eo originem ducere existimo, quod minus recte versus 1039 sq. interpretati sunt. Poetam enim hoc dicere putant: „alias res aliud movet, sed semen ex homine ciet homo amatus aut eius simulacrum." Sed hominem ab homine commoveri minime rarum est, nam eodem modo ira, inimicitiae, amicitia, gratia cetera in homine ab homine moventur. Mihi *hominis vis* est hominis

---

[1]) Ex quo vocabulo apparet Munronem errasse, cum scripsit: „the *ianua* here is the *fauces*."

robur, hominis adulta aetas; et poeta hoc dicere mihi videtur: alias res aliud movet, sed semen humanum sua sponte sollicitatur „cum primum adulta aetas roborat artus" (1038). Et hoc quidem loco nondum sermo esse potest de seminis eiectione pulchritudine amatae effecta; poeta enim distinguit tria temporis spatia: primum semen sollicitatur (1037—40); deinde per membra decedit corpore toto conveniens in locum certum, ubi partes genitales ciet (1041—4); denique tandem fit cupido eiciendi petitque vir corpus eius quam amat gestitque coire; nam voluptatem praesagit muta, caeca, nova cupido (1045—57).

Non igitur de pulchritudine amatae semen ciente sermo esse potest primo quod diximus spatio. Praeterea poeta hoc loco non explicat quomodo pulchra femina visa efficiat ut vir coeat, sed id potius, qui fiat ut apud virum desiderium coeundi oriatur.

IV. 1124

Brieger et Giussanus cum Winckelmanno transponunt ante 1123, quod servitium et officia neglecta infamia *magis* inter se cognata sint quam cum iis, quae 1125 sqq. de luxuria dicuntur.

At locum non perspexerunt, cuius haec videtur sententia: dum amantes *ipsi* absumunt viris et sub nutu alterius vitam agunt, interea eorum res familiaris labitur, officia languent, fama vacillat; ita ut primum dicatur quid *ipsis* fiat, deinde *quae res* interea eorum pereant.

Praeterea poeta vocabulum quod est *adde* ita praeficere solet, ut sub hoc verbo singulae tantum res adnumerentur (3, 828 sq.; 1036 sq.; 6, 611, 613); quam ob rem poetae verba corrumpere videntur, qui legunt: „adde quod alterius sub nutu degitur . . . . languent officia . . . . aegrotat fama", tres scilicet res diversas.

IV. 1129 sq.

Giussanus secludit quasi antiquiorem contineant formam versuum qui praecedunt; nullaque alia re in hanc suspicionem incidit, nisi quod 1123 legitur *res Babylonica fiunt* et 1129 *bene parta patrum fiunt anademata.* Hanc coniecturam ut impugnem, eodem argumento uti me iuvat, quo ipse Giussanus eos viros doctos refellere solet, qui antiquiorem alicuius sententiae formam se indagasse putant; nempe non credibile est poetam illud *bene parta patrum,* quod hoc loco gravissimum est, delevisse aut deleturum fuisse. Quod poeta verbo quod est *fiunt* iterum utitur, non mirum est, cum non minus quam sex verba usurpet, ut describat quot res amatae donentur.

Adde quod, si versus secluduntur, aequabilitas in numero versuum perspicua pervertitur.

IV. 1225—8.

Munro et Giussanus 1227 sq. transponunt ante 1225; attamen aperte errant, nam *haec* (v. 1225) referendum esset ad muliebre saeclum et mares (1227 sq.), quod absurdum. Quod Munro adnotat: „*haec,* i. e. the distinctions of sex" probari non potest.

Brieger recte cum Lambino scribit *minus* pro eo quod codices exhibent *magis*; quod autem dicit altera quoque correctione opus esse et lacunae signum ponendum esse ante 1225, non probaverim. Dicit haec (Phil. 33 p. 448): „Es ist absurd zu sagen, die *voltus* seien nicht weniger (oder auch, meinetwegen, nicht mehr) *de semine certo* als die *facies,* und auch *comae* und *membra* sind ja gleich körperlich." Monendum tamen est *haec* [1]) (1225) referendum

[1]) De hac voce cfr. Munr. Comm. ad 3, 585.

esse ad *voces comasque* solas, quae nunc demum adnumerantur iis rebus, de quis iam sermo fuit, vultum dico et figuram (v. 1212 *figurae*, 1213 *vulta*, 1219 *figuras*, 1223 *figuras*); atque *facies* v. 1226 et *vultus* 1224 non inter se opponuntur, sed mera sunt synonyma, ut *corpora membraque* synonyma sunt *figurae*.

Vox comaeque opponuntur faciei corpori membrisque; et recte puto membris opponi posse comas, siquidem sermo est de iis, quae liberis de corpore et sanguine parentum crescunt; multo enim magis mirandum est liberorum comas, quas post partum accipere solent, parentibus similes esse quam vultum et membra.

Lambinus igitur hunc locum recte iam explicasse videtur, qui haec adnotat: „*quandoquidem nihilo minus:* Hoc referendum est ad illud quod proxime dixerat, Venerem saepe referre non solum vultus, verum etiam voces et comas maiorum, quod quia mirum alicui videri poterat, subiciens rationem, quandoquidem (inquit) haec, nempe comae et voces, nihilo minus constant de semine certo, quam oris forma et totius corporis habitus et figura."

Inter recentiores editores Bailey Lambinum secutus est.

DE LIBRO QUINTO.

V. 257.

Post hunc versum aliquid excidisse putant Brieger et Giussanus. Verum est nec Lachmannum nec Munronem recte explicasse verbum *redditur* v. 258, quod significare putant recreatur, restituitur, cuius explicationis Munro ipse confitetur se exempla afferre non posse.

Ego locum sic explico: quodcumque alias res alit, pro

parte sua iis rebus traditur, perit; [1]) partem enim aliis rebus redditam perdit. Quod Lucretius hoc loco dicit, repetit in clausula (v. 322 sq.), ubi dicit: „nam quodcumque alias ex se res auget alitque, deminui debet."

Nihil igitur desideratur; poeta enim luce clarius sic ratiocinatur (257—60): quia terra alias res auget, partem perdit; et quoniam terra est rerum commune sepulcrum, augetur; ergo terra perit et recrescit.

V. 312.

Hic versus corruptus alio modo ab alio corrigitur. Bernays [2]) eum induxit, sed veri simile non est interpolatorem versum inserere, qui nihil significet. Sine dubio corruptum est *cumque*, pro quo poetam scripsisse puto *quicque*:

quaerere proporro sibi *quicque* senescere credas.

Homines stulti putant monumentum perenne esse; nequiquam, nam ipsum monumentum dilapsum proporro quaerit ut sibi credas vel durissima quaeque metalla et saxa aetatem durare non posse, sed unumquidque senescere. Quod ad coniunctionem *ut* omissam, cfr. Cic. Ep. ad. fam. 11, 3, 4: „Deos quaesumus, consilia tua rei publicae salutaria sint ac tibi." Vide praeterea Georges, Lexic. s. v. *quaeso* (ubi locus ex Phaedro laudatus minus recte allatus est) et s. v. *oro;* Krebs-Schmalz, Antibarb. s. v. *rogare.*

V. 372

Giussanus seclusit, quod Brieger probavit (Append.). Putant Lucretium hunc versum in margine ad 369 adscripsisse. Si tamen pro eo quod est *possunt* scribitur *possint*, nulla causa superest cur offendamur. Nam versibus 366—9

---

[1]) Etiam VI 1198 *(reddebant vitam) reddere* significat perdere, amittere.

[2]) Praefat. p. VII. Cfr. tamen Friedrich Polle, Jahrb. f. Phil. Bd. 93, 1866 p. 756.

Lucretius dicit corpora non deesse, quae ex infinito coorta possint hanc rerum summam corruere aut aliam cladem ei importare. Porro (370—2) dicit nec spatium deficere, quo moenia mundi possint exspargi aut alia vi pulsa perire. Ut Epicurus ad Herod. § 73 (cfr. Aëtium 2, 4, 10 Usener p. 215), sic Lucretius putat multis modis mundum perire posse, idque indicat addito versu 372.

V. 460—4.

Lachmann et Bernays legunt v. 460 *videntur*, 463 *exalare*. Brieger lacunam esse statuit post 462; Giussanus habet hunc ordinem post v. 460: lacunae signum, 463 sq.; qui enim codicum ordinem sequatur, eum poetam dicentem facere nos mane aethera, qui scilicet videri non possit, se tollentem videre. Sed v. 458 sq. dicitur aether *ignifer, qui multos secum abstulit ignis*. Ignes autem sive vapores videri possunt. Neque dubitandum est, num „aethera se tollentem" videre possimus. Nam neque prima mundi aetate proprie aether se sustulit ex terrae foraminibus, sed partes aetheriae et igneae, quae deinde tandem aethera formarunt et flammantia moenia mundi. Facio igitur cum Munrone et Baileio, qui locum sanum esse iudicant. Quod Giussanus praeterea 463 sq. transponit ante 461, assentior Briegero, qui eum ea transpositione nihil lucrari putat (Append. p. 223).

V. 550—5

Giussanus secludit, quod non fecisset, si vidisset duas res poetam versibus 534—63 docuisse, ut ostenderet terram in media mundi regione quiescere; nempe prius (534—55) docet terram aliam naturam subter habere, scilicet aëra ex ineunte aevo cum ea coniunctum (536 sq.). Atque hoc ut

doceat, duobus utitur argumentis: alterum ex similitudine humani corporis ductum, quod cruribus non oneri est, cui argumento clausulam addit hanc: „sic igitur tellus non est aliena repente allata . . . . auris alienis;" alterum (550—5) ex eo ductum quod terra tonitru concussa aëra concutiat; clausula additur: „quod facere haut ulla posset ratione, nisi esset partibus aëriis terra revincta." Ergo et ex duobus illis argumentis et ex eorum clausulis apparet versibus 534—55 terram ostendi coniunctam esse aëri.

Altera parte huius loci (556—63) docet Lucretius re coniuncta corpus magni ponderis sustineri posse, quod probat exemplo animae quae corpus sustinet et movet. Clausula est 561—3:

iamne vides quantum tenuis natura valere
possit, ubi est coniuncta gravi cum corpore, ut aër
coniunctus terris et nobis est animi vis?

Errare igitur puto Giussanum, qui alterum argumentum prioris partis seclusit, quod separet ea quae separari non deberent. Eum in errorem duxit argumenti prioris (534—49) forma minus recta. Iusta enim forma esset haec: ut caput non oneri est collo, nec corpus cruribus, quod collum et crura capiti et corpori coniuncta sunt, sic aer, cui terra non oneri est, coniunctus ei sit necesse est; nam quae foris veniunt, laedunt; quae coniuncta sunt, non sunt oneri.

V. 1091—1160.

Lachmann Bernays Munro Bailey secludunt, sed Brieger perspexit, ubi de linguae origine dixisset poeta, recte sequi eum locum, qui est de legibus et iure, quae sine linguae usu esse non possunt, neque igitur totum locum sed 1091—1104 seclusit. In appendice (p. 225) vero laudat Giussanum, quod Bockemuellero auctore 1091—1104 post 1027

transferat, ubi eos secludi opus non sit; quod vero ille 1105—60 ante 1028—90 collocavit i. e. ea, quae sine linguae usu esse non poterant, ante eius inventionem narrari vult, vel maxime improbat.

Restant igitur 1091—1104, qui eo loco, ubi leguntur, editores offendunt. Sed post 1027 locati divellunt ea, quae divelli non oportet; nam recte varios linguae sonitus fieri docet poeta (1028 sqq.) postquam de ea humani generis aetate locutus est, qua „vocibus et gestu balbe significabant" (1022) homines sc., non pueri, ut Giussanus contorta explicatione interpretatur. Non igitur ulla earum mutationum, quas editores proposuerunt, probanda est, et codicum ordinem nihil habere quod offendat mihi persuasi. Quattuor enim partibus constare mihi videtur locus, qui est de genere humano (925—1457). Pars prima (925—1010) est de humani generis prima aetate, qua homines duriores erant et validiores, qui vescebantur iis tantum frugibus, quas terra crearat sponte sua, qui nondum res igni sciebant tractare nec corpus vestire neque ullis moribus nec legibus uti; et Venus in silvis iungebat corpora amantium. Pugnabant cum feris, sed tamen non multo tum plures quam nunc homines moriebantur; nam non bellum erat nec navigatio; deinde tunc penuria, nunc copia; tunc veneno imprudenter, nunc de industria sumpto peribant. Illa igitur aetas Lucretio non est aurea, quam poetae canere solebant, sed tamen erat felicior quam nostra; non enim metu deorum nec poenarum anima placida illorum hominum perturbabatur.

Secunda parte (1011—1104) agitur de ea aetate, ubi casas pelles ignem parare, conubium colere, amicitias iungere, loqui coeperunt. De casis pellibus igne conubio coniunctim dicit Lucretius, quia iis rebus genus humanum primum

mollescere et debilitari coepit. Amicitias et foedera iis temporibus iungi coepta esse dicit, cum nondum lingua uti scirent homines, sed vocibus et gestu omnia significarent; unde aptissime transit ad linguam. Et Diodorus Siculus 1, 8 coniungit origines foederum linguaeque eodem ordine ac Lucretius: *ἀλλήλοις βοηθεῖν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος διδασκομένους, ἀθροιζομένους δὲ διὰ τὸν φόβον, ἐπιγινώσκειν ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν τοὺς ἀλλήλων τύπους. τῆς φωνῆς δ'ἀσήμου καὶ συγκεχυμένης οὔσης, ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον διαρθροῦν τὰς λέξεις, καὶ πρὸς ἀλλήλους τιθέντας σύμβολα περὶ ἑκάστου τῶν ὑποκειμένων, γνώριμον σφίσιν αὐτοῖς ποιῆσαι τὴν περὶ πάντων ἑρμηνείαν.*

Iis rebus descriptis Lucretius tractat hanc quaestionem, quomodo ignem mortales nacti sint, cui quaestioni aptus locus non erat nisi in huius partis fine, ubi eadem formula (*illud in his rebus*) utitur poeta, qua etiam usus est 3, 370 ad quaestionem in loci fine solvendam. Denique versus 1091—1104 non divellendos esse ab 1105 sqq. vidit Giussanus; nam:

Inque dies magis hi victum vitamque priorem
commutare novis monstrabant rebus et *igni*

recte leguntur post eum locum qui est de igne.

Tertia parte 1105—1349) agitur de tribus rebus quae maxima damna pepererunt: de imperio, de religione, de metallis. Monendum est extremam partem loci qui est de imperio, ubi is qui leges violavit non usque fallere posse dicitur *divum genus* hominumque, aptissime cohaerere cum eo loco qui est de religione, sive de metu deorum.

Quartus denique locus est de artium inventione, de qua recte agitur postquam dictum est de metallis repertis, quorum ope artes exercentur.

Iam hoc demonstrasse mihi videor: 1091—1104 divelli non oportere ab 1105—1160; atque illos cum superioribus, hos cum proximis apte cohaerere.

V. 1359.

Hunc versum Giussanus secludit; causam affert hanc: „Questi due versi (1359 sq.) mal si reggono per la costruzione (epperò il Brieger *durarunt*), e hanno quell' ingrata ripetizione di *atque* in principio di verso: ingrata perchè non giustificata, in quanto i due *atque* introducono una anche più ingrata ripetizione delle stesso pensiero (secondario) sotto due aspetti, che non si giovano l'un l'altro." Neque ille neque Brieger locum perspexisse videtur. Lucretius docet haec: Antiquissimis temporibus non feminae sed viri lanam fecerunt; nam feminis sollertiores et magis artificiosi sunt. Non omnes tamen viri lanam fecerunt; erant et agricolae, qui tandem illos vituperarunt, quod opus tam facile agerent. Illa vituperatio duas res effecit: 1. ut viri mulieribus lanam faciendam tradere et pariter cum agricolis duriorem laborem sufferre vellent; 2. ut genus virile durius fortiusque evaserit atque aptius ad fortia facta quam ad illa subtilia opera.

Secundum Giussanianam lectionem viri concedere tantum mulieribus voluerunt ut lanam facerent, sed ea omittit, id quod maximi momenti est, eos etiam durum sufferre laborem velle. Brieger qui scripsit *durarunt*, poetam dicentem facit non illos viros, qui laborem sufferre inceperunt, sed agricolas durare membra manusque (cfr. Nencini, Rivista 1896 p. 312). Attamen unusquisque videt non hoc, sed illud poetam dicere voluisse.

DE LIBRO SEXTO.

VI. 102—7

Secludunt auctore Kannengiessero (De Luc. vers. transp.

p. 36) Brieger et Giussanus. Hic tamen dicit (IV p. 187) rectius fortasse lacunae signum ante 102 se positurum fuisse.

Sed arbitror et 99—101 et 102—7 argumentum continere, quo probetur nubes concurrentes caelum tonitru concutere. Nam versibus 99—101 probat Lucretius *nubes* tonitrum efficere; caelo enim sereno sonitum caeli non fieri; versibus 102—7 autem ostendit nubium *concursu* coeli fragorem fieri posse; non enim nubes, quamquam non tam condenso corpore sint quam lapides, tam tenues esse quam sint nebulae.

VI. 299.

Secludit Giussanus (IV p. 316), quod *hoc idem* nihil aliud significare possit nisi *cadere; cadere* autem *in alias partes* absurdum esse. Sed sic reprehendere poetae verba putidae esse diligentiae unusquisque sentit; nam ex eo verbo quod est *cadere* i. e. deorsum ferri, sumendum esse *ferri* quisque intellegit. Poeta dicit hoc: si vis venti incidit in gravidam fulmine nubem eamque perscidit, extemplo *cadit* fulmen; hoc fit idem in partis alias, i. e. fulmen in alias quoque partes fertur, si vis venti non desuper in nubem incidit, sed alia ex parte eam aggreditur.

Vel doctissimi viri interdum oblivisci videntur poetae licentiam quandam concedi oportere; Lucretioque licere quod non cuivis liceret, qui philosophiae Epicureorum compendium scriberet; atque rectissimum illud Briegeri est nec ab hoc loco alienum: „grammatisch und logisch schulmeistert man den *Dichter* Lucretius" (Ann. Luc. 1879 p. 208).

Denique versus 299, quem Giussanus transponendum esse censet post 345, ibi minime aptus est ubi, ut Giussanus ipse sensit, non de fulminis in certam partem cursu sermo est.

VI. 317 sq.

Secludit Giussanus (IV p. 316) quia „parlano di materie

incendiabili dal fulmine, mentre il complesso in cui si trovano non parla che di accensione per violento urto di due corpi."

Immo vero versibus 317 sq. non agitur de materia fulminis sed de idonea flammis materia eius *rei*, quae excipit ictum. Et antecedentibus versibus agitur de incendio, quod fit ex ictu duarum rerum „ex quibus confluere possunt elementa vaporis." Non igitur suo loco movendi sunt 317 sq. et res, quam Lucretius docet, haec est: fit quoque ut hoc modo fulmen existat, quod ipsa plaga venti res incenditur, quia ictu tam ex vento quam ex re icta confluunt elementa ignis; ut, lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis. Sic igitur, si res aliqua opportuna flammis vento icta est, ventus exardescit et fit ignis concitatus, id quod nos fulmen vocamus atque res eo fulmine accenditur.

VI. 324

Secludunt Brieger et Giussanus, quod putant poetam huius et antecedentis versus alterum utrum eicere voluisse. Sed aperte errant, nam tria sunt quae Lucretius docet:

1. quomodo *mobilitas fiat* fulminis, docet versibus 325—9;

2. deinde (330—47) demonstrat, qui fiat ut fulmina mobilitatem non amittant, sed celeri lapsu *percurrant;* non enim facile quicquam obsistere (330—4); praeterea gravitate et pondere mobilitatem duplicari (335—9); denique fulminis, quod longo veniat impete, mobilitatem crescere eundo et plagis corporum, quae ex aëre trahat, incendi (340—7);

3. denique docet poeta quid fiat iis rebus, quae fulmine *ictae* sint (348—56). Ambo igitur versus servandi sunt in altero versu cum Naugerio voce *at* in *et* mutata:

mobilitas autem *fit* fulminis et gravis *ictus*,

et celeri ferme *percurrunt* fulmina lapsu,
. . . . . quod etc.

VI. 436 sq.

Secludit Giussanus, quia antiquiorem formam esse putat versuum 441 sq. Errat tamen, nam 438—42 explicationem continent eius rei, quae versibus 431—7 dicta est, ita ut 431—5 explicentur versibus 438 sq., quibus dicitur ventus ille, qui nubem detrudat, esse *versabundus turbo;* nubes autem *lento cum corpore;* 436 sq. autem explicentur versibus 440—2, quibus ostendit poeta quomodo ventus, qui primum non potuerit rumpere quam coeperit nubem, tandem discindat; nubes scilicet ventum fugiens mari impeditur, et utrimque pressa scinditur.

Quae explicatio si recta est, 436 sq. una cum versibus 438—42 servandi sunt.

VI. 698.

Brieger (Proleg. p. 79; Ann. Luc. 1900 p. 17) vidit legendum esse „res cogit aperta," quam correctionem et Bailey recepit. Praeterea Munro Brieger Giussanus Bailey lacunae signum ponunt ante hunc versum, quod subiectum verborum quae sunt *ire penetrare* cet. excidisse putant. Hoc tamen latere credo in codicum litteris quae sunt *mari*, quod Lachmann et Bernays mutant in *maris*. Suspicor poetam scripisse:

hac ire fatendumst
et penetrare *animam* penitus res cogit aperta.

Ventum saepius poeta in hac carminis parte animam appellat, veluti versu 693 *(animai turbida vis)*. Hanc coniecturam iam feceram, cum apud Creechium legi haec: „Displicet haec [codicum] lectio, neque id iniuria; nam non de maris, sed de venti in speluncas ingressu agitur. Faber legendum

putat „Et penetrare *animam* res *cogere* aperto." Qua coniectura reiecta sic pergit: „Si placet vox *animam*, leg. *res cogit aperta*, ut alibi *manifesta docet res*."

De significatione verborum quae sunt *res cogit aperta* adeas Briegerum l.l.

VI. 769—99.

Giussanus ordinem statuit hunc: 770 788 771 sq. 789 sq. 773—6 781 sq. 777—80 797 sq. 783—7 791. Postea (Rivista 1900 p. 214) dixit aliquid etiam excidisse sibi videri post 776.

Brieger (Ann. Luc. 1900 p. 18) recte monet haec: „Es ist doch im höchsten Grade unwarscheinlich, dass die Verse so durcheinander gekommen sind. Man möchte fast sagen, es müsste sie dann jemand mutwillig durcheinander gebracht haben."

Deinde docet versus 788—90 suo loco ferri posse; eo loco, quo Giussanus collocaverit, non posse. Giussanus autem (l. l. p. 212—4) verum videt, cum dicit atomos ipsas recte cibum et venenum dici non posse, neque vocem neutrius generis *multa* (771) dictam esse de *figuris*, praesertim cum hoc vocabulum iuxta illud scriptum legatur, neque denique *multa* ita explicari posse, ut sit appositio vocis quae est *rerum*. Non igitur credo Wakefieldum hunc versum correxisse, cum coniecit „multa cibo *quae* sunt, vitalia" pro eo quod codices exhibent „multa cibo *eque* [1]) sunt vitalia."

In codicibus nihil corruptum esse arbitror nisi quod, ut sexcenties fit, pro diphthongo *ae* scripta sit littera *e*; et legendum esse „multa cibo *aeque* sunt vitalia." [2]) Eodem

[1]) Sic tradit Lachmann; sed v. clar. Woltjer me docuit in Oblongo legi *aeque*, in Quadrato *eque*.

[2]) Ea quae sequuntur, sic construenda sunt: multaque (sunt), quae possint morbos incutere et mortem adcelerare.

modo *aeque* usurpatum est a Plauto, Amphitr. 293 „Nullust hoc meticulosus aeque" et a Plinio 24, 8, 32 „Populi ferunt et in foliis guttam ex qua apes propolim faciunt. gutta aeque propoli ex aqua efficax" (sic Harduinus; Codices: aquae propolis; Janus: ad quae propolis); 35, 3, 6. „quibus equidem nullas aeque demiror." Lucretius igitur hoc docet: *in* terra multae sunt res, quae vim vitalem habent, qualem habet cibus, eae scilicet quae ex terra veniunt in herbas fruges pabulum aquas salutares; sunt aliae quae morbum et mortem afferre possint: sulfur bitumen carbones eaeque, ex quibus fiunt herbae venenatae, exhalationes noxiae.

Videamus nunc, num versus 777—80 recte a Kannengiessero (De Luc. vers. transp. p. 40 sq.) Briegero Giussano post 782 transpositi sint. Tota argumentatio, qua poeta explicat quomodo fiat ut Averna loca avibus mortifera sint, divisa est in tria capita. *Principio* (capite primo 769—80) poeta res docet tres: α (quattuor versibus primis) *in terra* res diversa esse natura; salutares morbidas mortiferas; β (quattuor versibus alteris) rerum vim aliam aliis *animantibus* esse; γ (quattuor versibus postremis) multas noxias res certum *sensum* afficiendo vel transeundo nocere: multa enim inimica meare per aures, insinuare per nares.

Deinde capite altero (781—817) exempla affert ut probet noxiis rebus ex *terra* ortis (α) aegrum fieri aut mori *hominem* (β), quae res ex terra exaestuantes per *nares* sese insinuent et odore noceant (γ).

Tertium caput (818 sqq.) continet conclusionem: *eadem ratione* rebus mortiferis ex *terra* ortis *aves* moriuntur in locis Avernis.

Non igitur illi quattuor versus (777 sqq.), quibus tertia res (γ) docetur, suo loco removendi sunt. Unum addo:

poeta ex iis adiectivis nominibus, quae usurpaverat versibus 777 sqq. (inimica infesta aspera vitanda fugienda tristia) consulto delegisse mihi videtur illud *infesta*, ut eodem vocabulo quod usurpaverat de naribus, nunc, cum de odore ageret, denuo uteretur (*acriter infesto sensu* 782) neque dubito quin Brieger verum viderit, qui perspexerit illud *tactu* (v. 778) ex versu proximo huc irrepsisse. Brieger coniecit *sese;* malim *sensu.* [1])

Reliquum est ut ostendam versus 797 sq. loco non movendos esse. Capite, quod alterum diximus, Lucretius docet quam multae sint homini res acriter infesto sensu, sed ita ut primum dicat de iis rebus, quae morbos incutiant (cfr. 772); *denique* (799 sqq.) de iis, quae mortem adcelerent. Sunt autem inter eas res duae, quae utrumque et morbum et mortem afferre possint, arbores dico et carbones. Poeta difficultatem, si ita nominanda est, hoc modo solvit, ut arbores numeraret inter res morbidas adderetque et esse, quae mortem afferre posset; carbones inter mortiferas, et prius diceret eos saepius capitis dolorem efficere.

Nam versus 804 sq. de carbonibus dici iam Joh. Bapt. Pius perspexit, qui versu 805 pro eo quod in codicibus est *vini* coniecit *viri*, quod Lachmann Bernays Munro receperunt. Brieger post 804 aliquid excidisse putat, sed veri similius duco curruptiones vocabulorum quae sunt *domnus* et *vini* ex una eademque causa originem ducere, sive chartam rimam egisse, sive hoc loco maculosam fuisse putes.

---

1) Lambinus coniecit *odore*; Lachm. et Bern. legunt *adactu*, Munro *iactu*, Giussanus Pollio auctore *tractu*; idem coniecit A. E. Housman (The Journ. of Phil. 25, 1897 p. 226 sqq.) Bailey iniuria de Pollio mentionem non facit in editione sua. Hoc iam scripto video Lachmannum hoc habere: „Nulla cum specie Lambinus *odore*, Bentleius *sensu*," id quod unum alterumve in errorem ducat; nam Bentleius adnotat hoc: „Omnes mss. *tactu*; rectissime. vide v. 1150. Siquid mutandum, malim *sensu* quam *odore*."

Quod Giussanus dicit versus 804 sq. ideo non pertinere ad exemplum a carbonibus ductum, quia nullum exemplum eorum, quae inde a versu 782 afferuntur, bimembre sit pluribusve quam tribus versibus contineatur, mirifice errat; primum enim omnium exemplum ab arboribus ductum (783—7) et bimembre est et quinque versibus describitur.

Earum igitur rerum, quae homini morbum incutere possunt, poeta enumerat *tres*: arbores, inter quas sunt quae capitis dolorem faciant, aliae quae vel mortem afferant; exstinctum lumen, castoreum, quae soporem et languorem efficiunt. Multaque inquit praeterea membra ita solvunt ut langueant (vide Bockemuellerum ad 797 et 798). *Denique* (799) enumerat et *tres* ex iis rebus, quae hominem necare possunt:

1. Aquas calidas, quae post mensam adhibitae pleniorem apoplexia necare possunt (*ruina*);

2. carbonum vim, quae cerebrum morbo afficere atque, si fervidior est, hominem necare potest (*mactabilis*);

3. metalla, quae qui effodiunt parvo tempore pereunt.

Postremo loco ut solet luculentissimum affert exemplum; videmus enim metalla, quae *in* terra ipsa sunt, exhalatione homines necare (cfr. v. 806 *nonne vides etiam* et id quod diximus pag. 94).

In hisce igitur versibus non modo ordo mutandus non est, sed agnoscenda potius poetae exponendi ars.

VI. 954 sq.

Lachmann et Munro 955 transposuerunt, ille post 947, hic post 956. Brieger lacunae signum et post 954 et post 955 posuit; Giussanus post 954.

Ego nullum versum excidisse aut transponendum puto,

sed cum Purmanno (Neue Jahrb. 67 p. 678 sq.) legendum esse — nisi quod ille versu 956 pro *terra*, quae vox sana est, coniecit *aethra* — v. 754 sqq:

Denique, qua circum caeli lorica coercet,
morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur,
et tempestates terra caeloque coortae
in caelum terrasque remotas iura facessunt;

Aëra igitur transvolant et morbida vis, quae extra mundum coorta caeli loricam transit (cfr. 6, 1098 sqq.) et simul tempestates, quae in terra et in caelo coortae sunt atque vexant caelum et remotas, ad quas provectae sunt, regiones. Ut hic dicitur „vis*que et* tempestates," sic eiusdem libri versu 1102 „pluviis*que et* solibus." Plures locos affert Munro (II p. 286), quibus addendi sunt Vergil, Georg. 1, 182; 3, 434; Horat. Ep. 1, 7, 58; 1, 14, 19. Carm. saec. 47.

Iura facessere in aliquid significare arbitror idem quod subigere, in potestatem redigere, domare; caelum igitur et terras procellis ac morbido aestui Lucretius dicit obnoxia esse.

VI. 1017—32.

Giussanus transponit 1017—21 post 1032 et secludit 1030—2. Illos transponit, quod putat *plagis* versu 1020 dici de aëris plagis, qui post ferrum locatus est. At vereor hisce versibus sublatis ne causa cur primordia ferri extemplo in vacuum prolapsa cadant, nimis obscura sit. Dicit autem Giussanus (IV p. 281) id fieri πάλσει inter se atomorum, quae in ferro sint; sed mirandum in modum Lucretium nihil ea de re dixisse putat. Mihi videtur illa πάλσις indicari versu 1020, et poetam dicere ideo ferri primordia in locum vacuum prolabi, quia atomi ferri, quarum motus

antea, cum aer omnibus partibus ferrum circumdaret, in ferro contineretur, nunc aëre una ex parte sublato non iam impeditae eo ferantur, ubi locus patet; atomus enim alia aliam protrudit; et recte dicuntur atomi in vacuum ferri, quia agitentur plagis aliunde.

Atque hac causa exposita recte poeta versu 1022 utitur formula *huc accedit*, cum transit ad alteram causam exponendam, qui est aer *post* ferrum locatus. Denique agit de tertia causa, de abdito scilicet *in* ferro aëre (1034 sqq.)

Errat igitur Giussanus cum versibus 1030—2, qui sunt de aëre *post* ferrum locato — qui dicitur ferrum impellere quasi navem velaque ventus — et versibus 1034—41, quibus agitur de aëre, qui ut in omnibus rebus, sic *in* ferro quoque abditus sit, eandem rem tractari ratus 1030—2 secludit.

VI. 1076

Secludit Giussanus quasi formam antiquiorem contineat versus proximi. Utrumque versum tamen defendi posse credo iis locis, ubi, ut hic, idem vocabulum initium facit duorum versuum vicinorum, quorum prioris vim alter auget: 4, 409 sq. 450 sq. 774 sq.; 6, 409 sq. 530, 531, quem Brieger secludit, Giussanus defendit (IV p. 230; Rivista 1900 p. 211 sq.)

VI. 1224—51.

Versum 1225 secludunt Munro et Brieger, transponunt post 1246 Lachmann Bernays Giussanus. Hic tamen perspexit neque 1224 iungi posse cum 1226, quare lacunae signum posuit post 1224; neque versum 1225 cum 1246, quare hunc ordinem statuit: 1246//1225 lacun. 1247—51//. Duo vulnera efficit igitur traiectio versus 1225. Sed suo loco

removendus non erat; quod ut appareat, videamus qua ratione Lucretius hunc locum ex Thucydide verterit. Versus 1224 extremus est eius loci, quo Lucretius vertit Thucydidis libri secundi caput 50. Caput 51 autem sic incipit: *τὸ μὲν οὖν νόσημα, πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἑκάστῳ ἐτύγχανε τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον, τοιοῦτον ἦν ἐπὶ πᾶν τὴν ἰδέαν. καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. ἔθνῃσκον δ' οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι. ἔν τε οὐδὲ ἓν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ τι χρῆν προςφέροντας ὠφελεῖν.* Quod autem poeta transitionem qua rerum scriptor utebatur omisit, non miramur. Deinde perspicuum est quare non dicat illo tempore nullum alium morbum fuisse; solet enim poeta, qui non ut rerum scriptor verum tradere et docere vult, sed tristissimae rei descriptione animos movere, ea omittere, quae miseriam minuere videantur. Etiam initium capitis 49, ubi Thucydides idem tradit, omisit poeta, qui v.v. 1250 sq. dixit:

Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
nec mors nec luctus temptaret tempore talei.

Ob eandem causam omisit haec: Thuc 49, 5 *πολλοὶ τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων*; 49, 6 *καὶ τὸ σῶμα, ὅσονπερ χρόνον καὶ ἡ νόσος ἀκμάζοι, οὐκ ἐμαραίνετο*; 49, 8 *παραυτίκα ἀναστάντες*; 51, 6. Atque ob eandem causam arbitror poetam versu 1173 *ἂν* omisisse, neque inscitia vel incuria neglexisse, ut Hans Schröder putat (Lucrez und Thucydides, Strassburg 1898 p. 6).

Ergo post v. 1224 poeta vertere voluit ea verba Thucydidea, quae sunt: *ἔθνῃσκον δ' οἱ μὲν ἀμελείᾳ.* Sed Lucretius, qui antecedentibus versibus *animalia* mori dixerat, ne, ad litteram si verteret, oratio ambigua evaderet sed ut perspicuum esset se redire ad homines, simulque suam descriptionem graviorem redderet, non dicit incuria homines *mori*, sed vel funera certatim rapi incomitata et vasta (*ἀμελείᾳ*); quem

versum (1225) codicum lectione servata explicat Giussanus (IV p. 308), cui Brieger assensus est (Berl. phil. Woch. 1899 p. 489). Post hunc versum tradit poeta Thucydidis verba quae sunt ἓν τε οὐδὲ ἓν κατέστη ἴαμα e. q. s.

Venimus nunc ad versum 1245, quem Marullus posuit post 1241, Lachmannus, quem ceteri editores secuti sunt, cum Bentleio post 1236. Minus recte tamen, ne dicam inepte, homines tamquam pecudes contagione morbi affici dicuntur; recte autem tamquam pecudes contagione interire (1242), idem quod Thucydides dixit: ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείᾳ ἀναπιμπλάμενοι ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον; rectissime vero comparantur homines pereuntes cum pecudibus eo loco quo 1245 in codicibus scriptus legitur. Quattuor enim versibus 1238—41 describit poeta eos, quicumque suos fugitabant visere ad aegros; et quattuor proximis 1342—5 describit eos, qui fuerant praesto. Illos poena manebat, qua digni erant „turpique morte poenibat desertos, opis expertis, incuria." Hi, quos ut suos curarent misericordia moverat, innocentes atque miserabiles obibant tamquam agni bovesque.

Legendum igitur est v. 1245 lanigera*e*, litteraque *e* a librario in *s* corrupta est, ut saepius fit veluti 1, 634.

Denique errare Giussanum, qui Munrone auctore putat poetam prius versus 1247—51 scripsisse ut carmen clauderent, deinde iis reiectis scripsisse 1283 sq., apertum est; nam sine dubio 1247 sqq. scripsit Luc. ut verteret haec verba Thucydidis: καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι (51, 5), ubi J. Steup (Comm. Weidmann 1889) adnotat: „τὰς ὀλ. τῶν ἀπ., die Wehklagen um die, welche starben. Part. impf., weil von wiederholt Vorgekommenem gesprochen wird". Idem dicit Lucretius, si initium versus 1247, ubi codices exhibent *Inque aliis*, ita correxeris:

*at*que ali*as* alium populum sepelire suorum
certantes lacrimis lassi luctuque redibant;

ubi nihil desideratur (Munro Brieger Giussanus Bailey lacunae signum ponunt ante 1247). Modo hos, ait poeta, modo illos ex suis sepelire festinantes redibant lassi lacrimis luctuque.

Denique ut Lucretius — nam quod Thuc. tradit 51, 6 iam diximus poetam consulto omittere — antequam transiret ad cap. 52, hanc partem concluderet, de suo addidit 1250 sq., ubi dicit unumquemque Atheniensium illo tempore aut morbo affectum aut mortuum aut luctu (de quo modo mentionem fecit, v. 1247—9) temptatum esse.

Ut igitur paucis, quae dixi, comprehendam: ad vitia codicum in hoc loco iam in omnibus editionibus correcta duo addenda esse arbitror; v. 1247 legendum duco lanigera*e*, 1247 *at*que ali*as*. Ceterum totus locus Lucretianus sanus est nec quicquam excidit aut sede moveri debet.

Caput IV.

DE RELIQUIS QUI AD HANC QUAESTIONEM PERTINENT LOCIS.

I. DE IIS LOCIS QUOS SANOS ESSE VERI SIMILE DUCO.

I 599. Lacunam post hunc versum statuunt Munronem secuti Brieger, Giussanus, Bailey. Concedo id, quod Munro putat excidisse, hoc loco aptissimum esse, necessarium tamen esse nondum mihi persuasi. Giussanus, cui non magis *necessarium* videtur lacunam statuere („Riesce *strano* etc"), lacunae signum ponere fortasse non debuit.

III 658. Variis modis hunc versum sanare editores conati sunt; quorum quis rem tetigerit, pro certo non affirmaverim; attamen id editores, qui post Munronem Lucretium ediderunt, perspexerunt non cum illo putandum esse aliquid excidisse post hunc versum.

III 993. Brieger post *lacerant* excidisse putabat „curae summeque sequaces et dolor usque recens." In appendice confitetur se non debuisse *curae* suspicari in eis fuisse, quae excidisse putet, sed *aerumnae*.

Nihil tamen excidisse arbitror, sed aut Munronis explicationem (*atque* = *id est*) approbandam esse, quod Giussanus fecit, aut vocem *volucres* corruptam ducendam cum J. P. Postgate (The Classical Review 14, 1900, p. 352) et Samuele Allen (ibidem p, 414 a); quamquam locum nondum correxisse videntur; ille coniecit *stimuli*, hic *veneres*.

V 1006 a Lachmanno reiectum includit Bernaysius, secludunt Brieg. et Giuss. Hic unicus versus est in carmine Lucretiano, de quo Brieger et Giussanus (II p. IX) dubitant, an non Lucretianus sit. Si autem Lucretius, ut puto, hunc versum scripserit, non video cur secludendus sit, dummodo duplex punctum scribatur post 1005, ut appareat explicationem contineri eorum quae praecedunt. Haud scio an codicum lectio *navigii* servanda sit, quam Munro, quem Woltjer (Sert. Roman.) secutus est, mutat in *naucleri*, Baileius Cartaultio (La flexion dans Lucrèce, Paris 1898 p. 17) auctore in *navigiis*; si quidem Catullus Lucretii aequalis distractis syllabis *ii* in genetivo casu usus est (9, 5 : *o mihi nuntii beati*). Hoc igitur dicit poeta: nec poterat quemquam placidum mare in fraudem pellicere, cum navigandi ratio, quae homines improbos reddit (Cfr. Hor. Od. 3, 24, 35—44), ignota nondum colebatur.

Cum libris enim olim impressis, Munrone, Baileio pro codicum lectione *tum* legendum puto *cum* et post v. 1005 levius, gravius post 1006 interpungendum.

II. DE IIS LOCIS, DE QUORUM INTEGRITATE DUBITO.

I 524. Haud scio an recte Brieger versum excidisse post 524 statuerit. Giussanus eum secutus est.

II 465. Utrum vox *debet* mutanda sit, ut Lachm. Munro Bailey volunt, an lacuna post 465 cum Bern. Brieg. Giuss. statuenda, dubito.

II 681. Utrum cum Bernaysio, quem ceteri editores secuti sunt, post hunc versum aliquid excidisse statuamus, an corruptelam latere (Bruno coniecit *poma* pro codicum lectione *dona*) dubius haereo.

II 859. Ante hunc versum plura excidisse putat Giussanus; Brieger (Phil. 25 p. 73 sq.) versum corruptum ducit. Utrum veri similius sit, non diiudicaverim.

III 492. Post hunc versum lacunae signum ponunt Brieger et Giussanus. In re tam incerta quid verum sit non video. Idem dico de versu nondum sanato III 620, ante quem lacunae signum ponunt Munro, Bailey, Heinze.

IV 633. Lachmannus primus verba quae sunt *ut videamus* corrupta esse existimavit, quia aut *expediam* supervacaneum sit, aut *ut videamus*. Brieger (Ann. Luc. 1873 p. 1112) aliquid post 633 excidisse putat, quem Giussanus sequitur, dubitans tamen, quia nihil desideretur. Haud scio an codicum lectio servanda et tautologia ferenda sit. Contrario modo poeta obscurius loquitur 5, 780 omisso verbo quale est *dicam* (cfr. Giuss. Comment.).

Haec scripseram, cum vidi iam Purmannum (Neue Jahrb. 67, 1853 p. 677) putasse codicum lectionem ferendam esse; sed eo erravit, quod *quareve* (v. 634) mutandum esse censuit in *quareque*. Nam ut hoc loco, sic 6, 533 Lucretius usurpat illo pro hoc. Eodem modo usurpatum legimus *quove* 1, 57; 3, 34; 5, 71. 184. 776. Cfr. W. A. Merrill (American Journ. of Phil. 21, 1900 p. 183 sqq. ad. Luc. 6, 29) et Theobald Edelbluth (De coniunctionum usu Luc. quaest. sel. Münster 1895).

V. 1327 sq. Versum 1328 omittunt codex Monacensis, editio Iuntina, Lachmann, Bailey; inducunt Lambinus editione prima et Bernays; secludit Brieger. Giussanus cum Lambini editione secunda et tertia secludit 1327 sq.

An 1328 secludendus sit dubito, et haud scio an recte Munro versum defenderit. Certe non est cur uterque versus

secludatur; et errat sane Giussanus, qui „dire che questi *apri* erano feriti anch' essi" inquit „idea superflua." Nam ut versus 1313 sq. („permixta caede calentes . . . . saevi") explicant cur leones turmas turbarint, sic 1327 („tela suo tinguentes sanguine saevi") cur apri occiderint socios.

III. DE IIS LOCIS, QUORUM CORRUPTELAS ALIO MODO ATQUE EDITORES FECERUNT SANANDAS ESSE ARBITROR.

II 334, 342. Versum 334, quem Tohte interpolatori tribuit, Giussanus secludit; ante 342 idem Purmanno auctore lacunae signum ponit. Lachmann et Bernays mutant codicum lectionem *praetere* in *parturiunt*, Munro in *praetereat*.

Giussano concedo versum 334 ante 335 ferri vix posse; cum Lachmanno Bernaysio Munrone ego quoque arbitror „ante illud *Quorum* (347) deesse verbum" (Lachm. Comment. p. 92), neque credo anacoluthum iure defendi loco lacunoso, qui est lib. IV v. 123 sqq. (Cfr. Brieger, prolegom. p. 21). Duplicem difficultatem sustulit Woltjer (Neue Jahrb. 1879 p. 783), qui *sint* in *sunt* mutato 334 ante 347 collocat. Brieger (Ann. Luc. 1879 p. 197) de ea coniectura mentionem faciens adnotat: „Auf den ersten Blick bestechend, aber *qualia sunt* kommt hier nicht in Frage." Credo tamen illud *qualia sunt* hoc loco minime alienum esse, dummodo recte explicaveris. Nam *qualia* significat *quam diversa* (Cfr. Verg. Aen. II 274 et locos a Forbigero ad h. l. allatos); eandem igitur vim habet, quam verba quae sequuntur: *quam longe distantia formis.*

II 688—99 Giussanus recte ostendit non cohaerere cum argumento quod praecedit. Quod tamen post v. 724 transponit, non probo. Credo argumentationem, qua probaretur

quamvis res permixto semine constent, non omnia elementa communia esse, ut merito aliud ex aliis elementis constare dicatur, talem argumentationem credo perisse argumento excepto quod legimus versibus 688—99.

II. 748 sq. Post 748 versum excidisse primus vidit Creech, qui de sua coniectura dubitare non debuit. Idem vidit Lachmannus, sed eo erravit (et Bernays cum eo in eundem errorem incidit) quod 743 post 748 traiecit. Munro recte lacunae signum post 748 posuit, quem Brieger Giussanus Bailey secuti sunt.

Post proximum versum aliquid exidisse putant Brieger et Giussanus, ceteri versum corrigunt. Pro eo quod codices exhibent: „omnis enim color omnino mutatur *et omnis*" Lachmann Bernays Munro Bailey scribunt cum cod. Florent. 31, Cambr., Nauger. *in omnis*. Hanc coniecturam tamen refutavit Brieger (proleg. p. 25 et Phil. 25 p. 69). Conicio Lucretium scripsisse *in umbris*. Dixerat proximis versibus omnes res caecis tenebris sine colore esse. Nunc docet atomos colore carere; omnis enim color omnino mutatur in tenebris; atqui omnino mutari atomi non possunt.

Concedo igitur post 748 lacunam esse, non concedo post 749.

II 1139 sq.; 1146—9. Versus 1146—9 a Munrone et Baileio post 1138 transponuntur; secluduntur a Briegero et Giussano. Attamen Woltjer (Mnem. 1897 p. 319 sq.) ostendit nihil esse in hisce versibus, quod merito offendat.

Versus 1139 sq. Brieger Kannengiessero auctore collocavit post 1143. Quorum quamquam duplicem offensionem (A. Kannengiesser, De Luc. versibus transponendis, Gottingae 1878 p. 22) a Woltjero (Mnem. 1897 p. 317 sqq.) refu-

tatam esse existimo, tamen nobis quoque versus 1139 sq., quo nunc loco leguntur, ferri posse non videntur.

Inde a versu 1105 Lucretius docet nostrum mundum post tempus genitale continuo auctum esse, donec ad extremum crescendi finem pervenerit. Deinde demonstrat omnes res eodem modo augeri, donec alescendi summum tetigerint acumen; inde paulatim minui et tandem perire.

Minuendi causas enumerat quattuor:

1. quod quanto amplior res sit, plura corpora a se mittat (1133—5);

2. quod non facile in venas cibus didatur (1136);

3. quod ad damna sarcienda satis materiae suboriri non possit (1137 sq. 1141);

4. quod corpora extrinsecus plagis rem conficiant (1142 sq.)

Iam taedium movet in his tam paucis versibus iteratas esse causas primam versu 1139 et quartam versu 1140; atque ita iteratas ut explicationem causae tertiae in duas partes dividant. In codicibus igitur deinceps dicuntur causae 1, 2, 3, 1, 4, 3, 4. Si vero 1139 sq. loco moventur, legitur iusta series causarum 1, 2, 3, 4.

Postquam poeta docuit omnes res augeri, minui, perire, v. 1144 sqq. concludit et nostrum mundum tandem perituram esse; causas affert duas, scilicet causam 2 (v. 1148) et causam 3 (v. 1149). Desunt igitur causae 1 et 4, eaedem quas versibus 1139 sq. contineri vidimus. Hisce versibus post 1149 transpositis liberatur supervacaneis et molestis locus qui continetur v. 1131—43; versus 1144—9 suos, qui deerant, recipiunt.

Hoc loco video illam „congruentiam et aequalitatem, etiam in numero versuum perspicuam, propriam artis Lucretianae", quam primus, quod sciam, perspexit Woltjer (Mnem. 1897 p. 316), qui exempli causa affert I 823 sq.

et 825 sq.; II 720—4 et 725—9. Idem p. 321: „Lucretius autem" inquit „amat aequabilitatem periodorum et enuntiationum; quam ob causam, ubi particula quae est *item* poeta utitur, fere aeque longa est periodus quae sequitur atque ea quae antecedit." Idem valet de particula *nequiquam*, qua cum poeta utitur initio versus sequente coniunctione *quoniam*, tantum non semper totidem versus sequuntur, quot praecedunt. Exempli gratia affero 4, 1105—14:

denique cum membris conlatis flore fruuntur
aetatis, iam cum praesagit gaudia corpus
atque in eost Venus ut muliebria conserat arva,
adfigunt avide corpus iunguntque salivas
oris et inspirant pressantes dentibus ora,
nequiquam, quoniam nil inde abradere possunt
nec penetrare et abire in corpus corpore toto:
nam facere interdum velle et certare videntur.
usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent,
membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.

Eodem fere modo constructi sunt 5, 1226—35:

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
induperatorem classis super aequora verrit
cum validis pariter legionibus atque elephantis,
non divom pacem votis adit et prece quaesit
ventorum pavidus paces animasque secundas?
nequiquam, quoniam violento turbine saepe
correptus nilo fertur minus ad vada leti.
usque adeo res humanas vis abdita quaedam
opterit, et pulchros fascis saevasque secures
proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

ubi iure editores Lachmannum versum 1230 secludentem non secuti sunt.

Eandem aequabilitatem in usu particulae *nequiquam* vi-

demus libri quarti v. 1125—40, libri quinti v. 380—95, 837—54, 1115—1126 + 1131 sq. + 1127 sq., 1269—72, 1308—17 (ubi ex editoribus nemo nisi Bernaysius Lachmannum temere versum 1315 includentem secutus est), 1330—33.

Particula *nequiquam* loco, de quo agimus (2, 1144—9 + 1139 sq.), ubi eadem aequabilitas est, excepto non legitur nisi libris quarto et quinto; loci, ubi illa aequabilitas non est, sunt 4, 464 et 1188. Unus tantum locus est, ubi particulam non sequitur coniunctio *quoniam* (4, 1239).

Etiam in versibus 1120—43 in proxima pagina descriptis videas illam aequabilitatem; continent duas periodos undenum versuum; altera describit quomodo res grandescant, altera quomodo minutatim intereant. Has duas partes eodem modo formatas esse videmus: binos versus sequuntur seni, qui demonstrationem continent, cuius extrema pars ternis explicatur.

Haec iam scripseram, cum vidi et Briegerum perspexisse poetam hisce versibus *duas*, non ut Giussanus vult *tres* aetates describere (Annal. Luc. 1900 p. 11).

III 615—33. Brieger seclusit 615—23, Giussanus 615—33. Recte vidit Giussanus (III p. 75) hosce versus non pertinere ad caput tertium (580—669) de mortalitate (vide quae diximus ad III 526—47), quo demonstrat Lucretius animam ex corpore exeuntem iam divisam esse, sed pertinere ad caput alterum (548—79), quo docemur animum sine corpore esse non posse. Deinde „si potrebbero" inquit „trasportar queste senz' altro dopo 548—579, con cui sono affini." Non tamen transponit sed secludit èt quod aliae quoque partes ad hoc caput pertinentes alieno loco scriptae legantur, quod non concedo, èt quia post 579 inseri non possint, èt „poichè ci mancano segni esteriori di dislocazione."

Versus 615—33 a poeta scriptos esse arbitror post 557.

II 1120—43.

1120 Omnibus hic aetas debet consistere rebus:
hic natura suis refrenat viribus auctum.
Nam quaecumque vides hilaro *grandescere adauctu*
paulatimque gradus aetatis scandere adultae,
plura sibi adsumunt quam de se corpora mittunt,
1125 *dum facile in venas cibus omnis diditur,* et dum
non ita sunt late dispessa, ut multa remittant
et plus dispendi faciant quam vescitur aetas;
nam certe fluere adque recedere corpora rebus
multa manus dandum est: sed plura accedere debent,
1130 donec alescendi summum tetigere cacumen.
1131 inde minutatim vires et robor adultum
frangit et in partem peiorem liquitur aetas.
Quippe etenim quanto est res amplior, *augmine ademptio,*
et quo latior est, in cunctas undique partis
1135 *plura modo dispargit et ab se corpora mittit,*
nec facile in venas cibus omnis diditur ei,
nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
unde queat tantum suboriri ac subpeditare;
1141 quandoquidem grandi cibus aevo denique defit,
nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
corpora conficere et plagis infesta domare.

Conicio archetypi librarii oculos socordia quadam aberravisse ad sequentem paginam, ubi idem vocabulum viderit, a quo ei incipiendum esset, scilicet *denique* eodem fere paginae loco scriptum; eumque postea, cum versus enumerando percenseret, errore perspecto omissos versus alieno loco scripsisse signo traiectionis addito, ab eo librario, qui illum codicem postea descripserit neglecto.

Tertium igitur de mortalitate caput ex quattuor argumentis constare arbitror, quibus demonstrat Lucretius animum sine corpore existere non posse.

Primum argumentum (548—57) est, quod animus sit hominis pars, quae loco certo fixa maneat, ex quo concludit eum, sicut ceteros sensus, suo loco remotum extra hominem esse non posse.

Alterum argumentum (615—23) est, quod animus certo corporis loco gignatur haereatque, ex quo concludit animo sicut omnibus ceteris rebus suum locum reddi ad nascendum, neque eum alio loco durare posse.

Unusquisque videt haec duo argumenta artius cohaerere; ex eadem re, scilicet ex eo quod animus certo corporis loco est, utrumque argumentum ducitur.

Tertium argumentum (624—33) est, quod animus sine sensibus sentire non possit.

Quartum argumentum (558—579) est, quod animus extra corpus, quod sensiferos motus concludat, sentire non possit.

Ut illa priora argumenta ex animi sede, sic haec ex animi sensu ducuntur.

III 843—60, quod carmen interrumpant, secludit Brieger, quem secutus est Giussanus. Et concedo 861—9 ad idem argumentum pertinere, ad quod 832—42; et erravisse cum Bockemuellerum, qui 861—9 post 846 (cfr. Brieger. Ann. Luc.

1876 p. 168), tum Kannengiesserum, qui post 851 transponi iussit. (diss. p. 23 sq.; cfr. Brieger. Ann. Luc. 1879 p. 199 sq.)

Equidem puto tum demum omnia recta fore, si 861—9 post 831 traiecti erunt.

Versibus 830 sq. Lucretius post longam de mortalitate animi argumentationem sic concludit: nil igitur mors ad nos, quandoquidem natura animi mortalis est.

Rectissime deinde sequuntur ea, quibus Lucretius hanc sententiam veram esse probat (861—9): debemus enim inquit ipsi *esse*, quibus male possit accidere, id quod mors eximit. (Non negligendum est verbum *esse=existere* ter repetitum).

Hoc argumentum verum esse docere usum et experientiam ait Luc. (832—42); nihil enim aegri, inquit, sensimus bello Punico, ubi non fuimus; sic *ubi non erimus* (haec clausula bis repetitur) nihil sentiemus.

Deinde (843—6) dicit haec: et si iam anima sentit post mortem, nihil ad nos; nam nos, qui consistimus coniugio corporis et animae, post eorum discidium non sumus. Tum 847—51: nec si materiam nostram collegerit postera aetas, quidquam ad nos pertineat; cum sit interrupta repetentia nostri. Materia igitur eadem erit, sed nos non erimus ipsi.

Id quod usum et experientiam docere dicit (852—60); „nam et nunc" inquit „nil ad nos attinet de nobis, qui ante fuimus."

Unusquisque sentit haec ita disputata esse, ut alterum ex altero pendeat, neque quidquam omitti posse ex hac quasi catena argumentorum: non miseri sumus post mortem, ubi ipsi non sumus; fac autem animam sentire post mortem, tamen nos non erimus, quorum altera pars i. e. corpus deerit; fac tamen eandem materiam postea collec-

tum iri, ut et tale corpus existat quale nostrum fuit, tamen *ipsi* non erimus.

Hoc addo: ut argumentationem, quae versibus 847—51 continetur, *sequitur* argumentum ex experientia ductum, sic argumentationem, quae versibus 861 sqq. continetur, *sequatur* oportet argumentum ex experientia ductum. Qui autem factum sit ut librarius alieno loco scripserit 861—9 et 865, pro certo affirmare nemo poterit.

IV 135, 141 sq. Lambinus transponit post 132, quem omnes editores secuti sunt. Et concedo soloecismum, qui codicum ordine servato existat, ferri non posse, nec defendi aliis soloecismis qui in carmine leguntur, ut putat G. Giri (Rivista 1901 p. 41—3), qui frustra affert aliquot soloecismos Lucretianos iam a Briegero allatos (praef. 19 sq.) et Sall. Cat. 18, 2; 56, 5; nec vidit nullo eorum defendi talem, qui ita formatus sit: „nubes, quae forma*ta* feruntur, mulcent*es*." Recte vero ostendit traiectionem Lambinianam versuum 141 sq. improbandam esse (l. l. p. 38—41); nam secundum lectionem vulgatam dicuntur *συστάσεις* identidem formas mutare; exemplo ut sint afferuntur nubes, sed mirandum in modum nihil deinde de nubium metamorphosi dicitur. Solo 135 traiecto omnia recte procedunt; nam *συστάσεις* dicuntur sponte gigni et multis modis formatae sublime ferri, quod idem deinde de nubibus dicitur.

Atque vox quae est *nam* (v. 136) non cum Giussano per ellipsin explicanda est ita, ut cogitando supplendum sit: „e questi nubi sono un esempio appunto delle *συστάσεις*, „perchè prendono forma or di gigante ecc."; sed versus 136—9 explicant id quod dictum est versibus 134, 136 nubes mundi speciem serenam violare et aëra mulcere motu.

Verum igitur vidisse arbitror Creech, qui perspexit versus in codicibus misere turbatos esse, sed Lambinum fortasse non in optimum ordinem redegisse. Poetae verba restitui credo versu 135 post 132 traiecto. Cfr. Giri l. l. p. 42 n. 2.

IV 768—826. Brieger Christii (Quaest. Luc. p. 23), qui putat hisce versibus Lucretium bis eiusdem rei explicandae periculum fecisse, opinionem secutus versibus 777—817, quos Lachmann Bernays Munro Bailey secludunt, servatis secludit 768—776, quos priorem formam continere arbitratur. Giussanus, qui in editione (III p. 286 sqq.) et 768—776 et 817—21, 826 illis subiunctos secluserat, postea (Rivista 1900 p. 184) dixit se a Briegero admonitum (Append. p. 221) videre iniuria se versus 817—21, 826 transposuisse. Editores igitur inde a Lachmanno aut 768—776 aut 777—817 secludunt. Attamen iure id fieri nego, neque hosce versus duplicem continere arbitror formam.

Versibus 749—771 Lucretius docet et cum cogitemus et cum somniemus mentem moveri simulacris. De simulacris quae in somnis videmus, quibus ne in errorem inducamur poeta in prooemio (v. 34—41) dixit se hunc librum scripsisse, duas difficultates explicat: primum quomodo fiat ut videamur cernere eos, qui iam mortui sunt; deinde (768) quomodo membra movere videantur simulacra; quod ut explicet dicit simulacra non membra movere, sed aliud alii simulacro alio statu celeriter succedere. Quod ut illustraret, si nostris temporibus vixisset, poeta contulisset quod cinematographon appellare solemus. Hac vero explicatione non omnem difficultatem sustulit poeta; nam ut concedamus priori imagini alteram succedere *alio statu*, porro tamen quaerimus quomodo fiat ut *certo aptoque statu*

identidem aliis aliae imagines succedant, sic ut una eademque persona incedere et moveri videatur. Neque hoc poetam fugit; nam versu 777 sic pergit:

Multaque in his rebus quaeruntur, multaque nobis
clarandumst, *plane* si res exponere avemus.

quo dicto explicare incipit quomodo fiat, ut non turba omnium rerum simulacrorum nostram mentem moveat cum cogitamus, sed ea ipsa quae volumus; et quomodo in somnis quoque non turbam dissimillimarum formarum, sed certam inter se aptissimarum imaginum seriem videamus; quod utrumque eadem ratione explicatur.

Aliud igitur tractatur versibus 768 sqq., aliud 777 sqq.; soli versus, qui indicare duplicem formam videntur, sunt 800 sq.; sed verum vidit ut solebat Lambinus, qui hos ab interpolatore ex 771 sq. repetitos reiecit. Nam et res de qua his versibus agitur hoc loco aliena est et verba ipsa produnt se male inserta esse; quonam enim referendae sunt voces *prima*, *altera*, *prior* (800 sq.)? Et *tenuia* (802)? Et quid est obiectum verbi *cernendi* versu 785? Non *priorem* et *alteram*, quae gestum mutasse somnianti iam videntur, sed *simulacra quae locis in quisque parata sunt* (798). Brieger 800 sq. lacunae signo praefixo secludit, Lachmann Bernays Munro Bailey recte hos reiciunt, minus recte 799. Cfr. Susemihl, Phil. 33 p. 441.

Versus 795 a Lachmanno traiectus post 782, a Bernaysio cum Lambino reiectus, recte interpretatus est et suo loco vindicatus a Woltjero (De Luc. philosophia cum fontibus comparata p. 96) quem, ex Lachmanni coniectura legentem *quod sentimus*, sequitur Giussanus.

Denique recte editores reiciunt 808, qui in Quadrato legitur adrasus (Cfr. Lachm. ad IV 802) et 826 traiciunt post 821 cum Quadrati correctore.

V 771, qui versus idem est ac 764, Lambinus delevit adnotans: „frustra hic versus alieno loco iteratur." Editores sunt omnes Lambinum secuti. Bockemuellerus tamen neutrum delevit; et hoc sane ostendit versum 771 post 770 molestum non esse. Sed tamen concedo iterationem non placere. Inquirendum igitur est utro loco versus servandus, utro abiciendus sit. Editores fere tacent et abiciunt, ut dixi, versum secundo, ubi in codicibus legitur, loco. Ego tamen versum priore loco a librario male iteratum esse iudico ob eam causam, quod aequabilitas, quae in hoc loco a nullo non perspecta est (cfr Giuss. IV p. 96 ad v. 768), quemvis harum rerum peritum iudicem monet aequalibus quoque numeris versuum Lucretium usum esse. Id quod revera apparet versu 771 servato, 764 abiecto. Quo facto Lucretius agit et de solis et de lunae defectione nonis versibus; et ita, ut quinis versibus dicat de luna (753—7) et de terra (762—7) solis lucem opprimentibus; quaternis de sole (758—61) et de luna (768—71) languescentibus ipsis, quorum locorum comparatorum aequalitas neminem fugere potest, ut videre licet proxima pagina.

V. 1341—9 Bernays Brieger Bailey recte cum Lachmanno transponunt 1343 post 1341. Praeterea 1341—6 reicit Munro, 1344—6 abiciunt Lachmann Bernays Bailey, quibus nunc assentitur Brieger (Append.), qui in editione sua seclusit; nunc quoque eos solos secludere velit Giussanus (Rivista 1900 p. 206), qui in editione sua 1341—9 seclusit. „Gli è" inquit „che in essa ci son due motivazioni 1344—6 e 1347—9, non coordinate e che insieme non possono stare; all' una o all' altra Lucrezio avrebbe necessariamente rinunciato." Attamen utrumque locum defendi posse existimo. Nequiquam feras in belli usum

V 753—771.

753 nam *cur luna queat terram* secludere solis
lumine et a terris altum caput obstruere ei,
obiciens caecum *radiis* ardentibus orbem,
tempore eodem aliut facere id non posse putetur
corpus, quod cassum *labatur* lumine semper?

758 Solque suos etiam dimittere languidus ignis
tempore *cur certo nequeat*, recreareque lumen,
cum loca praeteriit flammis *infesta per* auras,
quae faciunt ignis interstingui atque perire?

762 et *cur terra queat lunam* spoliare vicissim
lumine et oppressum solem super ipsa tenere,
tempore eodem aliut nequeat succurrere lunae
corpus vel supra solis *perlabier* orbem,
quod *radios* inter rumpat lumenque profusum?

768 Et tamen ipsa suo si fulget luna nitore,
cur nequeat certa mundi languescere parte,
dum loca luminibus propriis *inimica per* exit,
menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras?

olim adhibitas esse Lucretius docuit. Addit haec: si quidem fuit ut facerent homines; nam veri simile non puto eos non vidisse commune malum futurum esse. Et potius id factum contenderis in quovis ex magno numero mundorum, quotquot sunt et fuerunt, quam in nostro i. e. certo mundo; sed ut fecerint, tamen id voluerunt non tam spe vincendi quam ut, si ipsi inermes perirent, hostes tamen laederent.

Totum igitur locum sanum esse iudico versu 1343 transposito:

1341 Si fuit ut facerent. Sed vix adducor ut, ante
1343 quam commune malum fieret foedumque, futurum
1342 non quierint animo praesentire atque videre.
1344 Et magis id possis factum contendere in omni,
in variis mundis varia ratione creatis,
quam certo atque uno terrarum quo libet orbi.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
qui numero diffidebant armisque vacabant.

V 1379—1435 secludunt Lachmann et Bernays. Giussanus eorum coniectura reiecta (cfr. etiam Brieger, Proleg. p. 73) solos versus 1388 sq. cum Lachmanno et qui eum secuti sunt editoribus secludit. At in commentariis suis contendit Lucretium versus 1379—1411 in membranis diffusos scripsisse atque editorem iustum ordinem, quem non perspexisset, corrupisse. Iustum autem ordinem putat esse hunc: 1379—83, 1405—8, 1386 sq., 1390—6, //1397 sq.// 1399—1404, 1384 sq., 1409—11.

Ego arbitror solos versus 1386 sq. a poeta post 1408 scriptos a librario sua sede remotos esse; ceterum locum sanum esse. Quod ut probem, examinabo rationes quas ut coniecturam suam probet, Giussanus profert:

1⁰. „1388 sq." inquit „disturbano."

Lachmannus, qui primus reiecit, haec habet: „Hos duos versus hic tollendos esse quivis per se videre potest, et miror hoc Marullum Naugerium Lambinum Bentleium Creechium non animadvertisse." Libere fateor me non magis videre reiciendi necessitudinem quam illos viros clarissimos. Primum (1379—89) enim poeta dicit *de cantus origine;* ore canere carmina discebant homines avium voces imitando; tibia canere querellas paulatim discebant per calamos flantes quibus initio venti sibila imitabantur.

Ut igitur haec paulatim ingenio hominum inventa sunt, sic unumquidque paulatim tempus et ratio invenit.

Deinde (1390—1408, 1386 sq.) docet cur, quam invenerant artem, exercere non desierint dicitque *de cantus deliciis*: hilares et satiatos mulcent et iuvant carmina, vigilantibus sunt solacio somni.

Denique (1409—11) dicit *de cantus perfectione;* homines qui antea extra numerum canebant didicerunt numerorum genera servare.

2⁰. 1397 sq. antiquiorem formam putat versuum 1403 sq.; illos igitur secludendos esse. Attamen et hos et illos retinendos censeo; nec duplicem formam esse mihi persuasi. Nam rectissime poeta distinguit laetitiam saltantium, quae risum tantum et laetum vultum praebet, ab hilaritate, qua per ceteram festi diei partem homines iocantur, sermones serunt ridentque.

3⁰. Giussanus versum 1409 non cohaerere putat cum antecedentibus. Brieger Purmanno auctore (Progr. Lubanens. 1858 p. 15) lacunae signum ponit post 1408. Ego Giussano concedo post 1408 transponendos esse 1386 sq. Versu 1409 verbi tempore perfecto, quod dicunt grammatici, quod est *didicere* subiectum esse *homines* vidit Bockemueller.

4°. 1405—8 transponendos esse putat post 1383, quod Lucretius de calamis locutus nulla mentione facta de fistula subito transeat ad tibiam. At conferas quod ad 1° diximus; poeta opponit artem perfectam („levia carmina cantu concelebrare, tibiis canere dulcis querellas") rudi artis origini („avium voces imitarier ore, cavas inflare cicutas").

5°. ostendit 1386 sq. transferendos esse post 1408, quod probandum esse diximus.

6°. 1384 sq. transponendos esse suspicatur post 1404, quod tibia inventa est post „primi tentativi musicali e corici." Sed, ut iam diximus, versibus 1390 non de primis artis musicae rudimentis agitur, sed dicuntur homines delectati esse carminibus non multo ante inventis, quae ore aut tibiis canebantur.

IV. DE IIS LOCIS, QUOS LACUNOSOS AUT TRANSPONENDOS ESSE CONCEDO.

III 472 sq. Giussanus collocat post 462. Brieger secludit 463—71. Haud scio an verum viderit Giussanus (Edit. III p. 60; Rivista 1900 p. 36 sq.) contendens, nisi 472 sq. transponantur, versus 459—62 argumento carere et vocabulo doloris locum non esse post versus 463—71. Ex eo quod versus 510 post 473 male a librario iteratus est, conicias etiam versus 472 sq., quos poeta scripserit post 462, librarii errore eodem translatos esse.

IV 45—8 ad eum locum, quem sibi postulant sc. post 25, Marullus traiecit; Brieger, postquam a Lachmanno Bernaysio Munrone male reiecti sunt, restituit (Phil. 29 p. 417—9), quem Giussanus et Bailey secuti sunt.

IV 168 sqq. Lachmann et Bernays secludunt 168—175

et 179 post 175 transpositum. At versus non secludendos esse docet Giussanus (III p. 164 sq.), quamquam ut 129 sqq., sic 168—75 postea a poeta additos esse putat. Traiectionem versus 179 impugnat Munro; post 175 autem lacunam esse cum Giussano veri simile duco (III p. 165 et 171 sq.).

Brieger 168—73 subscripto lacunae signo seclusos traiecit post 140, 174 sq. ante 143. Codicum ordinem defendit Giussanus (III p. 164 sq.).

IV 216—29. Versum 229 a Lachmanno et Bernaysio seclusum defendit Giussanus (III p. 180).

Purmann (Neue Jahrb. vol 67 p. 676) vidit vocabulum *mira* versu 216 non Lambino auctore, quem Lachmannus et Bernaysius secuti sunt, mutandum esse in verbum *mitti*, sed putabat unum versum a librario omissum esse. Purmannum Munro et Bailey secuti sunt. Giussanus (III p. 176 sq.), cui Brieger assensus est (Append. p. 219), perspexit non solum excidisse alteram partem clausulae (216), in qua dici oporteat de *celeritate* imaginum, verum etiam introitum eius loci, quo agatur de visu, cuius alteram partem versus 230—38 contineant. Non tamen probo, quod putat (III p. 177—180) et argumentum ante 217 excidisse atque versus 218—29, quos Brieger una cum versu 217 eiecit, secludendos esse. Nam si libri sexti versus 921 sq. iterantur ante 217, ita ut post introitum, qui excidit, legatur idem argumentum quod est libro sexto 921—933, repertum esse credo illud, quo probetur sensum videndi tactu fieri, id quod Giussanus abesse putabat.

Quodsi verum est, principio docet Lucretius ut odores frigus calor voces umor salsi saporis a rebus fluant, sic omnibus ab rebus perpetuo mitti *corpora* quae feriant oculos. Praeterea ostendit ea corpora, quae oculos tangant

visumque moveant, rerum esse *imagines* (Iam Creech rectissime attulit Macrob. Saturn. 7, 14).

Nihil igitur reiciendum aut secludendum est, sed librarius eadem socordia, qua 222—8 repetivit et sexti libri versus 934 sq. alieno loco scripsit, nunc ab extremo vocabulo versus 216 (*necessest*) transiit ad extremum vocabulum eius versus qui antecessit in libro, quem transscripsit, versum 217, quod idem erat vocabulum (*necessest* 6, 922). Eundem errorem librarii iam vidimus p. 138.

IV 290 Lachmannus post 270, Bernaysius post 269 traiecerunt. Goebel tamen (Observat. Luc. p. 19 sq.) demonstravit transponendum non esse. Munro autem tres voces mutat versu 290 legitque *illic quor reddant*, quem nescio quomodo (cfr. Giussan. III p. 189) sequitur Bailey. Sed Goebel et Polle (Phil. 26 p. 340) perspexerunt aliquid post 289 excidisse; recteque lacunae signum post 289 ponunt Brieger et Giussanus.

IV 551 sq., 542—6. Lambinus recte traiecit 551 sq. ante 542 omnesque editores eum secuti sunt. Brieger (Phil. 32 p. 485) seclusit 551 sq. et 542—6; sed Giussanus recte contendit versus non secludendos esse. Non tamen cum eo pro certo affirmaverim postea eos a poeta additos esse; aptiorem enim locum ubi doceatur asperitatem vocis ab asperitate atomorum fieri nullum esse existimo nisi post argumentationem, qua probatur vocem ex atomis consistere.

IV 603—11 Kannengiesser (De Luc. vers. transp. p. 29 sq.) ostendit transponendos esse post 614. Brieger, qui eos secludit, eum sequi debuit, ut Giussanus fecit (III p. 217—9; Rivista 1900 p. 181 sqq.).

IV 663 sqq. Giussanus ostendit, si cum Briegero (Phil.

33 p. 435 sq.) lacunae signum posueris post 663, non debere cum Lachmanno 671 sq. transponi ante 663, neque cum Bernaysio (De emend. Lucr. 1847, ex Museo Rhenano repetita p. 583 sq.) lacunae signum subiungi versui 670 neque cum Briegero abici 672 (Proleg. p. 62; cfr. Phil. 33 p. 436—8).

IV 706—21 Giussanus ostendit (III p. 228; Rivista 1900 p. 184) cum Susemihlio (Philol. 33 p. 438) transponendos esse post 686, non cum Lachmanno ceterisque secludendos.

IV 822—76 secludunt Lachmann Bernays Munro Bailey; Brieger secludit 822—57, transponit 858—76 post 906. Giussanus omnes vindicat (III p. 239 sq.; Rivista 1900 p. 185 sq.). Versum 864 recte ante 863 transposuisse videtur Lachmann, quem secuti sunt Bernays Brieger (Ann. Luc. 1873 p. 1111) Giussanus.

V 28—31 tribus laborant vulneribus, si codicum ordinem sequaris; nempe 29 et 31 divelli non oportet, et excidit aliquid cum post 28, quo dictum erat Geryonem incoluisse Erytheam insulam, tum ante 30, ubi descriptae erant Stymphala colentes. Haec vulnera sanaveris, si cum Munrone Briegero Giussano Baileio versum 30 lacunae signo praefixo transposueris ante 29. Nec Lachmanniana nec Bernaysiana correctio sufficit. Uterque transponit 31 ante 30; Bernays interponit lacunae signum.

VI 400—422. Brieger transposuit 400—3 post 405; Giussanus post 416; idem praeterea traiecit 421 sq. ante 404, postea (Rivista 1900 p. 211) putavit melius eos traici post 405.

Ego amplector Briegerianam coniecturam. Nam poeta tribus argumentis probat non a dis iaci fulmina:

1⁰ v. 387—405 docet non sceleratos homines potissimum de caelo tangi, sed saepe innocentes et loca deserta;

2⁰ v. 406—16 ostendit deos nec velle caveamus fulminis ictum, nec incautos nos opprimere.

3⁰ v. 417—22 dicit vel templa deorum de caelo tangi.

Unicuique vero horum locorum, quibus negat tantum deos iacere fulmina, addit argumenta singula, quibus probet non deorum opera sed legibus naturae fulmina fieri: ex versibus 400—3 apparet non Iovem, ut sceleratos puniat, fulmen iacere, sed nubibus coortis fulmina fieri; ex versibus 411—16 non deorum consilio, ut certum quendam locum tangant, sed saepe plures in partes fulmen cadere ut imbres; ex versibus 421 sq. fulmina non discrimen facere inter sancta et profana, sed nimirum altissima quaeque potissimum tangi.

Ergo versus 400—3 ut 411—16 et 421 sq. in loci fine, id est post 405 a poeta scripti sunt.

Ceteros locos, qui ad hanc quaestionem pertinent, aut lacunosos aut transponendos esse existimo, ut conspectus, quem infra additurus sum, ostendet. Nullus igitur in carmine Lucretiano locus esse mihi videtur qui secludendus sit, quod seorsum a carminis continuitate a poeta scriptus carmen interrumpat. Deinde, quod locos lacunosos aut sua sede remotos contineant codices Lucretiani ex uno archetypo descripti, inde minime effici carmen a poeta non perfectum atque absolutum esse cuivis harum rerum perito iudici apparet.

Ergo Hieronymi testimonio fide minime digno reiecto nullam videmus esse causam, cur carmen Lucretianum imperfectum relictum esse putemus, speramusque fore ut aliquando sive in Hispania sive in alia parte orbis terrarum

ex monasterii alicuius latebris in lucem proferatur melior plenior integriorque codex, qui carmen multis luminibus ingenii multaeque artis, quo sublimius artificiosiusque Romani nobis nullum tradiderunt, contineat ita ut poeta scripsit perfectum atque absolutum.

APPENDIX.

I. ADDENDA.

pag. 9 l. 1 a marg. inf. Carolus Gneisse (De versib. in Luc. carm. repetitis p. 46 sq.) putat non Marcum nec Quintum, sed alium quendam Ciceronem carmen Lucretianum emendasse.

p. 24 l. 3. Lucianus Mueller (Jahrb. f. Phil. 93, 1866, p. 397) docet *exim* scriptum legi in aliquot antiquis codicibus.

p. 27 post l. 5. III 46, quem versum Bentleio auctore editores post 43 ponunt, suo loco vindicat Gustavus Woerpel (Wochenschr. f. klass. Philol. 1902, No. 13 p. 365). Omnia enim se recte habere demonstrat, dummodo *ventus* ita explicetur, ut significet *ventum popularem* (cfr. Cic. pro Cluent. 130). Ut enim Livius (6, 11, 7) voce, quae est *aura* usus est omisso adiectivo, quod est *popularis*, sic Caelius *ventum* dixit pro eo quod est *fama* (Cic. ad fam. 8, 8, 2).

p. 36 l. 8 a marg. inf. Brieger (Ann. Luc. 1902 p. 154) Giussanum impugnans hisce verbis: „Mit einem at credo sagen, die Menschen seien unglücklich gewesen, ehe sie existiert hätten, ist doch wohl eine alberne Ironie" errare mihi videtur, si quidem, ut Woltjer (Luc. philos. c. font. comp. p. 106 sqq.) ostendit, Lucretius hoc loco Platonis doctrinam refellit, qui docuit (Phaedr. p. 245c—246) animas esse ab aeterno. Sic enim concludit: ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν

τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Quam doctrinam poeta irridens exclamat: „at, credo, in tenebris vita (humana) ac merore iacebat ante rerum genitalem originem."

p. 38 l. 6. Brieger, cum dicit (Ann. Luc. 1902 p. 155) Giussanianam huius loci explicationem impugnans: „Vor allem können caeli metae in diesem Zusammenhange nicht der Nord- und der Südpunkt sein," quid velit Giussanus, intellegere non videtur. Ille enim aperte negat (Rivist. 1900 p. 5) metas esse „i punti cardinali nord e sud," sed significare τὰς τροπάς, i tropici. Giussanus poetam versibus 689—95 explicare arbitratur, quomodo fiat ut duobus diebus exceptis spatium noctium et dierum par non sit, hac ratione: a medio inter septentrionales et meridiem cursu caelum aequo spatio distinet metas solstitiales (cfr. v. 617), i. e. caelum distinet metas solstitiales aequo spatio a circulo aequinoctiali. Sol igitur it tantum spatium supra, quantum infra circulum aequinoctialem propter obliquam posituram zodiaci, secundum quem per annuum tempus labitur.

p. 54 l. 12 a marg. inf. Brieger (Ann. Luc. 1902 p. 150) Giussanum impugnat ita: „(Esse) aliquid soll bedeuten *qualche cosa essa stessa, per se stessa,* kein eventum und kein coniunctum. Aber wie soll aliquid das bedeuten können?" At Giussanus (II p. 60) hoc habet: „Ma intanto non si tratta di *id debebit esse aliquid,* ma di *id debebit esse aliquid* IPSUM ‚dovrà essere qualche cosa per sè stesso' (non come i *coniuncta* e *eventa* che *per se non sunt).*" Non video cur Brieger dicere possit hoc in Lucretianis verbis non inesse. Quodcumque erit, sic docet poeta, id debebit *ipsum* aliquid esse, non igitur esse nihil aliud nisi *eventum* alicuius rei vel *coniunctum,* quae per se non sunt.

p. 56 l. 4. Brieger (Ann. Luc. 1902 p. 150 sq.), ut

probet lacunam inter 469 et 470 statuendam esse, nec *aliud* . . . *aliud* . . . *eventum* coniungi posse, dicit: „aliud . . . aliud soll auf den Unterschied von eventa hominum eventa regionum gehen, aber schliesslich handelt es sich darum, dass jedes eventum ein eventum *von beiden* ist, was Giuss. ja auch in gewissem Sinne zugesteht, und da *kann* es doch nicht aliud heissen." At aperte fallitur uterque. Giussanus magis, qui, quamquam concedit eventa esse et hominum et regionum, tamen multa eventa esse vult (Rivist. l. l.), quae aut sint hominum tantum, veluti pestilentiam et tumultum, aut regionum tantum, veluti locorum desertorum inundationem et nivium molem de monte devolutam. Sed hoc minime verum esse vidit Brieger; pestilentia enim et tumultus in aliquo tandem loco sit necesse est. Inundatio autem et nivium moles fieri non possunt sine *corpore*, aqua scilicet et nivibus; nam hoc erravit Giussanus, quod putat eventum esse aut regionum aut *hominum*, quamquam Lucretius ipse dicit res gestas omnis esse eventa *corporis atque* loci (478—82); nec res geri posse, nisi sit *materies* et locus ac spatium (471 sq.) Quod cum Brieger perspexerit, putat poetam dicere non potuisse aliud eventum esse hominibus, aliud regionibus; neque animadvertit poetam non dixisse aliud eventum locis, aliud saeclis esse, sed in argumentatione, quae hominibus nostri saeculi nugarum non plena videri non potest, docuisse haec:

namque aliut saeclis, aliut regionibus ipsis
eventum *dici* poterit quodcumque erit actum.

Quamquam igitur omnes res gestae sunt eventa „corporis atque loci", tamen poterit aut dici eventum hominum, veluti Alexandri amor Helenae (v. 473 sq.) aut regionum, veluti incendium Troiae (476 sq.). Lacunam igitur non agnosco.

p. 96 l. 13 a marg. inf. Brieger (Append.), sive versus 798 sq. hic retineantur sive non retineantur, ante ea quae sequuntur lacunam hiare putat. Sed explicasse mihi videor p. 97 sq. non mirum esse versus 798 sq. et 800 sqq. aliquid continere, quod ex iis, quae proxime praecedunt, non sequatur; si quidem versibus 784—829 poeta, quae probavit, paucis comprehendit.

p. 110 l. 8 a marg. inf. Giussanus (Rivist. 1900 p. 197) confitetur se hunc locum secludere non debuisse.

II. CONSPECTUS LOCORUM

inde a Lachmanno ab editoribus eiectorum, inclusorum, seclusorum, traiectorum, lacunae signo praefixorum:

(om. = ommissus; mai. = litteris maiusculis; id. = idem; pag. indicat paginam huius libri, ubi locus tractatur; *l.* = lacuna; p. = post; a = ante; ( ) = // //).

LACHMANN	BERNAYS	MUNRO	BRIEGER	GIUSSANI	BAILEY	EGO	PAG.
			LIBRI I				
			(6-9)				21
14 p. 15	id.	id.	id	id.	id.	id.	
l. p. 43	*l.* p. 49	*l.* p. 43	id.		id.	id.	
44-49 om.	[44-9]	44-9 om.	id.	id.	id.	id.	
			(50-61)	62-79*l.*136-45			43
			(136-45)	50-61,80-135			
155p.158	id.	id.	id	id.	id.	id.	
		*l.*in189	*l.*p.189		*l.*p.189		21
			208-14 p. 204	id.			51
			(326) p. 327				21
334 om.	[334]	334 mai.			334 om.		21
434 p. 435	id.	id.		id.			54, 156
454 om.	[454]	454 mai.					22
			(464-9 *l.* 470)				54, 156
				(518 sq)			58
			l. p. 524	id.			130
			(531)p.537	(531)			22
				*l.*p.547			60
			(565-76)				63
568 p. 585							22
			577-83p.550	577-83p.564			63
		l. p. 599	id.	id.	*l.*p 599		129
				l p.634			64
769 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
806 p. 807							22
			l. p. 840				22
l. p. 860	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
		*l.*p.873	(873)p.869	(873)	*l.* p. 873		22
		884p.885	*l.*p 883				65
			*l.*p.921				67
	998-1001p.983			998-1001p.1007	ut M.		69
			(1002-7)				
l. p. 1012	id.	*l.* p. 1013	id.	id.	id.	id.	
		l. p. 1084	id.	1086p.1084	*l.*p.1084		72
l. p. 1093	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
		l. p. 1114		*l.* p. 1114			22

LIBRI II

LACHMANN	BERNAYS	MUNRO	BRIEGER	GIUSSANI	BAILEY	EGO	PAG.
5 p. 6	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
		43 b p. 46	43*l*.43 b		43 b. p. 46		22
			l. p. 105	(105)			73
l. p. 164	167p 164	*l*.p.164	id.	id.	id.	id.	
[165-183]	[167-183]	[165-183]			[165-183]		23
			(189)				76
				281-3 p. 276			23
				308-332p.141			23
				(334)		334a 347	132
				l. p. 341			
			l p. 380	id.			23, 154
		453 mai.	455p.453	453p.454			77
			464-77 a. 456	id.			78
			l. p. 461	id.			
	l.p.465		*l*. p. 465	id.			130
474sq.p.476	id.						24
			l. a. 478	id.			82
			l p. 499	id.			83
		l.p 501		*l*. p. 501			24
[522-8]	(522-8)						24
	l.p.528		*l*. p. 528				24
l. p. 600	id.	id.	id.	id.	id.		24
636 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
680 p. 659	id.	id.	id.	id	id.	id.	
		[1])	[1])	(655-9, 680)	[1])		83
	l p.681	id.	id.	id.	id.		130
				700-24 p. 687		*l*.p 687	132
			l. p. 719	id.			25
			723 sq. om.				25
743p.748	id.	*l*.p.748	id.	id.	id.	id.	133
			l. p. 749	id.			
			l. p 787				26
			817-25p.794				85
				l.a 859			131
		l.p,903	id.	id.	id.	id	
923p.915	923p.914	id.	id.	923p 915	923p.914		89
			(937-43)				26
[1013-1104]	(1013-1104)		(1013-22)	id.			90
1015sq.om.	[1015sq.]	1015sq om.			1015 sq. om.		
1020 om.	[1020]	1020om.	id.	[1020]	1020 om.		
			l.p.1071	id.		*l*.p 1071	
			1141-3p.1138			1139 sq p.1149	133
		1146-9p 1138	(1146-9)	id.	1146-9p.1138		
		1170-2p.1167	id.	id.	id.		26

[1]) Munro Brieger Bailey: 655-9 cum 680 ante 652.

LIBRI III.

Lachmann	Bernays	Munro	Brieger	Giussani	Bailey	Heinze	ego	pag.
			(26 sq.)					27
46 p. 43	id.	id.	id.	id.	id.	id.		154
		l. p. 82						27
l. p. 97	id.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			(189-195)					27
298 p. 295			(*l.* 298)					28
			(337-349)					28
[350-95]	(350-95)							
	[358]		*l.* p. 357					29
363p.361	[362]		*l.* p. 362					91
393p.391	id.		393 p. 391					29
412 om.	[412]		(412)					30
415 om.	[415]							
430 om.	[430]							30
433 om.	[433]							
			(*l.* 444)					30
			(463-71)	463-71 p. 473			id.	147
474sq.om.	id.	id.	id.	id.	id.	id	id.	
			l. p. 492	id.			?	131
				526-47 p. 669				93
		[1])	(592-606)	592-606 a. 615				30
			(615-23)	(615-33)			615-33p.557	136
		l. p. 619			*l.*p.619	id.	?	131
			(634-69)					93
		l. p. 658						129
	[685]	685 mai.		(685)				31
690-4 p.685	id.	id.	id.	id.				
			(701)					32
743 om.	[743]	743mai.	(*l.* 743)					32
			l. p. 759					
763 om.	[763]	763 om.	id.	id.	id.	id.	id.	
	[764]		(764)					32
				798 sq. p 614				96, 157
			l. a. 805					32
806-18 om.	[806-18]	806-18om.	*l.*p 818	id.				32
l. p. 823	id.	id.	id.	id.	id.		*l.*p.823	
			(843-60)	id.			861-9p.831	138
865 p. 857	id.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			l. p. 903					33
			(912-18)	(912-8) p. 930				33
955 p. 951	id.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			l. in 993					129
				*l.*p.1010				33
		*l.*p.1011	id.	id.	id.			
[1031]								33

[1]) Munro: 592-606 p. 575.

LIBRI IV.

Lachmann	Bernays	Munro	Brieger	Giussani	Bailey	ego	pag.
[1-25]	(1-25)	[1-25]	(1-25)		[1-25]		33
			l. p. 41 127sq.a.42				33
44 p. 53	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
45-48 om.	[45-8]	45-8 om.	45-8 p. 25	id.	id.	id.	147
49 sq. om.	id.	id.	id. (51-3)	id.	id.	id.	33
				(67-71)			101
102 sq. om.	[102 sq.]	102 sq. om.	id	id.	id.	id.	
l. p. 126	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
[129-42]	(129-42)	[129-42]	129-42 p. 109		[129-42]		33
135,141sq.p.132	id.	id.	id.	id.	id.	135 p. 132	140
l. p. 144	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
[168-75, 179]	id.		(168-73*l.*)p.140 174sq.a.143	*l.* p. 175		*l.* p. 175	147
195 p. 205	id.						34
	203p.188						34
		l. p. 216	id.	id.	id.	216*l.*VI.92lsq.	148
229 om.	[229]		217-29 om.	(218-29)			
			230-8 p. 97 (241 *l.*) p. 243				34 34
251 p. 249	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
261 p. 259	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
290 p. 270	290p.269		*l.* p. 289 (299-363)	id.		*l.* p. 289	149 34
323-47 p. 298	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
				l. p. 345 346sq.p.331			34
419 p. 417			*l.* p. 418				34
				435 p. 386			102
			(493)				35
			l. p. 508				35
				511sq.p 521			102
			l. p. 532	id.			103
551sq.p.541	id.	id.	541(551sq.542-6)	551sq.p.541	id.	id.	149
			(603-11)	603-11p.614		603-11p.614	149
			l. p. 633	id.	id.	?	131
671sq.a.663	*l.* p. 670		*l.* p. 663 672 om.	id.		*l.* p. 663	149
[706-21]	(706-21)	[706-21]	(706-21)	706-21p.686	[706-21]	706-21p.686	150
			l. p. 752 (768-776)	[1])			35
[777-817]	(777-817)	[777-817]			[777-817]		141
795 p. 782	[795]						
799-801om.	[799-801]	799-801 om.	799(*l.*800sq.)[2])		799-801 om.	800 sq. om.	
808 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
[822-57]	(822-57)	[822-57]	(822-57)		[822-57]		150

[1]) Giussani: (768-776, 817-21, 826).
[2]) Cfr. proleg. p. LXIII *l.* 22 et append.

Lachmann	Bernays	Munro	Brieger	Giussani	Bailey	ego	pag.
826 p. 821	id.	id.	id.	id.	id.	id.	141
[858-76]	(858-76)	[858-76]	858-76p.906		[858-76]		150
864p 862	id.		864p.862	id.		864p.862	
			l. p. 961				35
999p.990	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
1000-8om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			1039sq.p.1036	*l.*p.1038			104
1047 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			(1078-1101)				35
			(1110-2)				
			1124p.1122	id.			105
				(1129 sq.)			106
1210p.1203	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
		1227sq.p.1224	*l.*p.1224	1227sq.p.1224			106

LIBRI V.

			26sq.p.36				36
31 a. 30	31*l.*a.30	*l.*30a.29	id.	id.	id.	id.	150
[110-234]	(110-234)	[110-234]					28
			128-37 om.				36
175sq.a.170	id.	175sq a.174	id.		175sq.a.174		36, 155
			(*l.* 210-2)	*l.* p. 209		id.	
			l p. 257	id.			107
			261-72p.305				36
	[312]						108
			cfr. App.	(372)			108
			l. p. 408	id.		*l* p. 408	
410a.409	id.						37
437-9p.445	id.	id	id.	id.	id.	id.	
			*l.*p.462	*l.*463sq.a.461			109
[509-33]	(509-33)	[509-33]	509-33p.563	id.	[509-33]		37
514p.516	id.						
				(550-5)			109,157
573p.569	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
574 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
594sq.p.589	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
596 om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
693a.692	id.		id.				38, 15[illegible]
			(*l* p. 696)				38
		*l.*p. 704	id.	id.	id.	id.	
771 om.	id.	id.	id.	id.	id.	764 om.	142
				(801-5)			38
			(855-77)				27
975 inter 969	id.	975p.967	id.	*l.*975p.968	975p.967	id.	
1006 om.	[1006]		(1006)	id.			130
		*l.*p. 1012	id.	id	id.	id.	

Lachmann	Bernays	Munro	Brieger	Giussani	Bailey	ego	pag.
[1091-1160]	(1091-1160)	[1091-1160]	(1091-1104)[1]	[2]	[1091-1160]		110
1131sq.p1135	id.	1131sq.p.1126	id.	id.	id.	id.	
				(1198-1203)			38
[1230]							135
1315 om.	[1315]						136
1328 om.	[1328]		(1328)	(1327 sq.)	1328 om.	?	131
1343p.1341	id.		1343p.1341		1343p 1341	1343p.1341	143
1344-6om.	[1344-6]	1341-6mai.	(1344-6)	(1341-9)	1344-6 om.		
				(1359)			113
[1379-1435]	(1379-1435)						
1388sq.om.	[1388 sq.]	1388sq.om	id.	(1388 sq.)	1388sq.om.	1386sq.p.1408	145
			(*l.* 1408)	[3]			

LIBRI VI.

			*l.*p. 45	id.		*l.*p. 45	
	*l.*p. 47	id.	(47 *l.*) *l.*	*l.*p.47	id.	id.	
	*l.*p. 48		*l.*p. 48	id.		*l.*p. 48	
			*l.*p. 49				
56 sq. om.	[56 sq.]	56 sq om.	id.	id.	id.	id.	
[85-9]	(85-9)						28
		90 sq.om.			90sq.om.		
			(102-7)	id.			113
				l. a. 160			38
187sq.p.193							38
[4]	[4]						38
			253sq.om.				38
			*l.*p. 292				38
				(299)			114
				(317 sq.)			114
			(324)	id.			115
			365p.367	id.		365p 367	
			383-5 om.				39
			400-3p.405	[5]		400-3p.405	150
				(436 sq.)			116
			(531)				122
[608-38]	(608-38)	[608-38]	*l.*608-38p.534	*l.*p.607	[608-38]	*l.*p.607	
			*l.*p. 674				39
		*l.*a.698	id.	id.	id.		116
			781sq.p.776	[6]			117

[1] Cfr. tamen Append.
[2] Giussani: 1091-1160 p. 1027.
[3] In Comm. proponit Giussani hunc ordinem: 1379-83, 1405-8, 1386 sq., 1390-6, (1397 sq.), 1399-1404, 1384 sq., 1409-11; omissis igitur 1388 sq.
[4] Altera pars versus 228 et prior pars versus 229 Lachm. omittit. Easdem partes Bern. inducit.
[5] Giuss. habet hunc ordinem: 399, 421 sq., 404-16, 400-3.
[6] Giussani: 770, 788, 771 sq., 789 sq., 773-6, 781 sq., 777-80, 797 sq., 783-7, 791 sqq.

LACHMANN	BERNAYS	MUNRO	BRIEGER	GIUSSANI	BAILEY	EGO	PAG.
793 p. 801							40
			l. p. 804				119
l. p. 839	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			(840-7)				40
933 om.	[933]						40
934sq.p.929	id.	id.	id.	id.	id.	id.	148
			(948-50)				40
955 p. 947		955 p. 956	954*l.*955*l.*	*l.* p. 954			120
988 sq. om.	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
990 p. 997	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
				[1])			121
1033p.1025	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
			[2])	*l.*p. 1039		id.	
				(1076)			123
1178 p. 1173	id.	id.	id.	id.	id.	id.	
				*l.*p. 1224			
1225 p. 1246	id.	[1225]	(1225)	[3])			123
1245 p. 1236	id.	id.	id.	id.	id.		
		*l.*a. 1247	id.	id.	id.		
		*l.*p 1262	id.				40
[1270]	(1270)		(1270)				40

---

[1]) Giussani ponit post 1016: 1022-9, (1030-2).
[2]) Brieger probat Giussanum lacunam statuentem [App. et Ann. Luc. 1902 p. 149].
[3]) Giussani: 1246 (1225 *l.* 1247-51).

III. Index rerum et verborum.

abundans dicendi genus 61.
adde 105.
aequabilitas versuum 21, 25,27, 30, 35, 66, 102, 106, 134,143.
aeque 117.
anima 116.
ante 22, 95.
ars poetae 45, 50, 53.
atque 129.
augmen 54.
certissima in extrema argumentatione ponuntur 94, 120.
clausula 53, 58, 71.
coepi 103.
lectio codicum corrigitur 23, 32, 67, 80, 81, 108 bis, 116, 117, 119, 124, 133.
contra 31.
ergo 85.
et 72, 77.
eventum 156.
exim 23.
exsolvo 23.
formamentum 88.
glomeramen 78.
iam 83.
idem vocabulum initium faciens duorum versuum vicinorum 122.
igitur 84.
-ii (*genetivus in*) 130.
ille 48.
illud in his rebus 112.
incipio 44.
ipse 156.
itaque 85.
item 135.
iura facesso 121.
lectio Leidensium 117.
magis 32.
maximus 40.
mens 45.
meta 155.
mortalia saecla 38.
nequiquam 36, 135.
oculus 93.
paucula 75.
popularem opinionem sequitur poeta 45.
praeditus 74.
qualis 132.
quasi 72.
-que et 121.
quippe qui 104.
quod si 53, 96.
quod super est 36, 68.
quoniam 87.
reddo 107.
rursum 83.
seducere 81.
simplex 61.
solidus 61.
solus 36.
spatium profundi 71.
supra 82.
tamen 31.
tautologia 131.
trahere 93.
-ve 131.
ventus 155.
vis abdita 45.
ut 108.
III 972—1094 98.

IV. **Corrigenda.**

p. 3 l. 1 a marg. inf. *Michaeli* legatur *Michaelis*
p. 4 l. 7 » » » *literarum* » *litterarum*
p. 21 l. 5 » » » *auctore* » *auctoribus*
p. 29 l. 7 *seclusit* legatur *inclusit*
p. 63 l. 10 deleatur *versus*
p. 63 l. 11 » *versum*
p. 63 l. 12 deleantur *versus* et *versum*
p. 63 l. 13 deleatur *versum*
p. 90 l. 9 *nostrum sensum* legatur *noster sensus*
p. 123 l. 6 ἐτύγχανε legatur ἐτύγχανέ
p. 147 l. 11 *1390* legatur *1390 sqq.*
p. 158 l. 21 a marg. inf. ad versum 524 s. v. EGO legatur *id.?*
p. 159 l. 17 ad versum 465 s. v. EGO legatur ?
p. 159 l. 20 a marg. inf. ad versum 681 s. v. EGO legatur ?
p. 159 l. 12 a marg. inf. ad versum 859 s. v. EGO legatur ?

THESES.

I.

Lucretianum de rerum natura carmen per intervalla insaniae conscriptum a Cicerone emendatum esse Hieronymus non tradit.

II.

Hieronymi de Lucretio testimonium fide non est dignum.

III.

Nulla iusta causa est cur Lucretianum carmen a poeta non esse perfectum putemus.

IV.

Horat. Carm. 3, 30 11.
„Et qua *pauper* aquae Daunus agrestium
regnavit populorum." Legendum est *pauperum*.

V.

Lessing non intellegit Mart. Epigr. XII 13, cum hoc epigramma esse priore parte debile ratus dicit (Ed. Lachm. VIII p. 434): „es enthält nichts als eine feine Bemerkung, mit gänzlicher Verschweigung des Vorfalls, von dem er sie abgezogen, oder der sich daraus erklären lassen."

VI.

Oppiani nomen apud Martialem non numquam personam

fictam significare temere statuerunt Gilbert et Friedlaender (in nominum indice).

VII.

Aeneidem a Vergilio non perfectam atque absolutam esse effici non potest ex clarorum Romanorum in libro sexto catalogo.

VIII.

Cic. de fin, II § 56: „Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus cum *causa*, si opus erit, dimicabit."

Legatur: . . . . commotus, cum *capitis*, si opus fuerit, <*periculo*> dimicabit.

IX.

Vis vocis *religionis* cohaeret cum ea quae est in verbo religandi.

X.

J. H. H. Schmidt (Handbuch der lateinischen und griechischen Synonymik p. 12) vim vocis quae est *eloquens* minus recte explicat ita: „Eloquens ist eigentlich derjenige welcher mit seiner Rede zum Ziele kommt, d.i.: der *beredte*, der andere zu überzeugen und seiner Sache zum Siege zu helfen versteht".

XI.

Epicuri Epist. ad Herodat. § 62: *Ἀλλὰ μὴν καὶ κατὰ τὰς συγκρίσεις θάττων ἑτέρα ἑτέρας ῥηθήσεται τῶν ἀτόμων ἰσοταχῶν οὐσῶν.* Post *ἑτέρας* inserendum est <*οὐκ ὀρθῶς*>.